Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johannes Faust Joachimus Albers

Felicitatis Amplitudo Ad Mentem Aristotelis, Caliginis Adversantium Discussiva

Rostochi[i]: Richelius, 1656

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730139077

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

R U phil 1656

Johann Faust

Joachim Albers

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730139077/phys_0001
DFG

בעזרת ה' הקבוה

FELICITATIS AMPLITUDO AD MENTEM ARISTOTELIS, CALIGINIS ADVERSANTIUM DISCUSSIVA,

Quam

Adspirante Felicissimo DEO,

&

Consentiente Amplissima Facultate Philosophica

Sub PRÆSIDIO

VIRI

Præcellentis atque Clarissimi

M. JOHANNIS FAUSTII,

Argentoratensis,

Eruditorum Examini subjicit

in Audit. Majori d. 3. Maji horis pomerid.

JOACHIMUS ALBERS,

Hamburgensis.

ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Senatûs Typogr.

ANNO cIↃ IↃc LVI.

Ad Præstantissimum

DN. RESPONDENTEM.

Epigramma.

PRæside IN FAUSTO tentas certamina fausta;
Ut cœptum faustum: sic sint tua studia fausta!

M. Gerhard Mohrman,
Hamb.

NIemand iſt vollenkomn/ein ieder hat Gebrechen/
Diß Sprichwort pflegt die Welt einhelliglich zu
ſprechen:
Doch einer gehet hierin dem andern weit zuvor/
Dem einen ziehet mehr die Tugend/Lieb empohr.
Wo iſt wol iemand itzt/den ſein Verſtand und Gaben/
Viel höher ans Geſtirn durch Kunſt erhoben haben/
Als Ariſtotelem? Er kant' auch unſren GOTT/
Ob gleich er war ein Heid'/ den groſſen Zebaoht.
Vnd dennoch muß er ſich von vielen laſſen meiſtern
Vnd gleich geachtet ſeyn den ſchlecht-berühmten Geiſtern/
† Bald lobet friſch bald ſchilt Pererius auff Ihn/
Jmgleichen Zabarell erkühnt ſich auch das kühn.
Solt aber/ was von ihm noch iſt erfunden worden/
Ein ider forſchen auß/ der muſte Oſten/Norden/
Vnd Weſten ſuchen durch/ und wüſte dennoch nicht/
Ob er durch ſeine Müh' auch brächt' ſo viel ans Liche.

† *lib. 5. c. 1. p. m. 275. 277.*
lib. 1. de reb. nat. c. 42. p. m. 131.

Darumb

Darumb Freund thut ihr wol daß ihr ihn wolt beschützen/
Es wird euch seine Kunst auch dis nahl dazu nützen;
Es geb' euch Glück hierzu der grosse Siegs-Held/
Der dieses Erd-Gebäu durch seine Macht erhält.

Seinem guten Freunde setzte dieses auß gebührender Schuldigkeit

Hermann Vp-hoff/ auß Hamb.

der Heiligen Göttlichen Schrifft Ergebener.

LÆtus honorificam conscendis, Amice, cathedram,
Et das ingenii jam monumenta tui.
Sic juvat eximias didicisse fideliter artes
Sic animum prodest excoluisse suum.
Lætor, & acclamo, FELICITER! & prece cœlum
Sollicito, ut Patriæ Commoda multa feras.

Raptim deproperabat

C. THURMAN, LL. St.

בעזרת הקב"ה

Felicitatis Amplitudo ad mentem Aristotelis

Caliginis adversantium discussiva.



Di Philosophum, metus sublimioris & excellentioris autoritatis humanæ ἀνελλιπέως ratiocinantem, tanquam præficam. Liberi omninò sumus, non servi, quorum mentes ex universa mente divina delibatæ, in quibus omnibus aliquod θεῖον naturaliter insitum esse videas, quod omnem non πεπηρωμένον per naturam habilem, non stupidum & vesanum ad spem secundioris status erigit, ut utraque felicitate felix quoad affectum sinceriſſimè, quoad cognitionem perfectiſſimè, perfectione, quæ in hanc corruptibilem, & spissa mole corporea obnubilatam & obfuscatam vitam cadere ope humana potest, DEO cæterisq; entibus cœlestibus adhæreas, ineffabiliq; animi tui voluptate fruaris, æquè bonus atque optimus, æquè sapiens speculabiliumq; optimorum, divinorumq; cognoscitivus; non Massii, qui ut molliſſimè dicam, nimis obsequioſi sunt, & quovis tyrone submiſſiores ingenii sui fasces submittunt Aristoteli & Thomæ, abituri alioqui manibus pedibusq; in eam sententiam (de loco agitur) de intervallo; non Thomiſtæ, Bieliſtæ, Epiſcopive Romani, quorum mentes sacramenti religione obſtrictæ velut bruta pecora suum Papam, falsa etiam dicentem publicèq; docentem sequi cogunter; & quæ alia

aliorum ingeniorum mancipia αἱρεσιν ἐκλεκτὴν ob frivolas causas fugientia. Statuendum itaque est de Philosophis, ipso etiam antistite, quod hic de se, & illi cum ipso, si sunt quod videri volunt statui jubent. Sic autem Phil. l. 1, Nic. c. 4. δόξειε δ' ἂν ἴσως βέλτιον εἶναι, καὶ δεῖν ἅμα σωτηρίᾳ γε τῇ ἀληθείας, καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, ἄλλως τε καὶ φιλοσόφους ὄντας: ἀμφοῖν γὰρ (φίλης & ἀληθείαν sub.) ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. *Ita hæc disputatio liberè quorundam stipulas discussura caliginem beatissimæ Aristotelicæ Beatitatis amplitudinem & diffusionem obfuscantium, ausuq; inani reprimentium dissipabit, ut in fumos abeant temerè & præcoci audacia effusæ nebulæ.* Κατασκευαστικῶς verò de prædictæ felicitatis amplitudine dicturus sum, ubi ora adversantium obstruxero, lubricumq; eorum ædificium è practicis Philos. libris à fundamentis dejecero, ne cum illo Luscio Lavinio apud Poëtam prius probem quare aurum sit meum, quam hi quare sit suum. *Ex orco tamen Aristotelem reducturus non sum: quod benignissimos, alioqui sævissimos Misericordiæ numinis omnium gratiosissimæ abnegatores Calvinianos, qui Numam, Catones, Scipiones, cæteramq; sanctorum gentilium cohortem in cælo ponunt, facere videas, & antiquorum, nonnullorumq; hodiernorum Pontificiorum, fortunam priscorum ante Jesum natum degentium Philosophorum miserantium cæca erga Philos. obedientia sibi persvadet, si hypotheses intuearis, publicæq; luci expositas assertiones. Venerandus Magister Lambertus de Monte in qvæst. magistrali (Conrad. Gesner. in bibl. lit. L. scribit:* Movetur hæc qvæstio tùm ob singularem amorem erga Philosophum, cujus doctrinam juxta Thomæ Aqvinatis interpretationem 40. circiter annos propagavit, ac per lucidissimas similitudines edisseruit, tùm ob nonnullos pertinaciter Aristotelem cum omnibus gentium Philosophis damnantes) *fol. 1. ita concludit:* gentiles sub tribus ptimis temporibus poterant esse in statu salutis, qvamvis non post tempus promulgatæ

gatæ Evangelicæ lucis. *Extitit ante 100. aut circiter annos, annot. Sam. Maref. in sen. differt. & Fortun. Liceto l. 1. c. 16. Joh. Genesius Sepulveda Hispanus, qui in aliqva epistola* vitam, salutem & gloriam æternam vindicare conatus est Aristoteli. *Notat ad hunc locum Sam Maref.* nec in Sepulveda Jesuita Gretserus qvicqvam habet, qvod carpat, nisi qvod nimis affirmativè loqvatur, cum tamen & ipse in salutem Arist. vehementer propendeat. *Chrysost. Javell. Canapig. Ord. Præd. II. p. Phil. Christ. tr. 1. sic scribit:* Potuerunt etiam salvari ante mysterium incarnationis adimpletum illi, qvibus revelatio facta non fuit de DEI Filio Christo Salvatore, modò crederent DEUM esse, & justissimum provisorem ac remuneratorem. Nam in hoc, qvod credunt explicitè DEUM verum esse, credunt implicitè qvæ in DEO sunt, ut qvod est Trinus & Unus, qvod est omnipotens, Creator omnium &c. in hoc autem qvod credunt explicitè divinam providentiam credunt implicitè DEUM esse humani generis liberatorem secundùm modos sibi placitos, & sapientiæ suæ convenientes, nec plura obligabantur credere. Unde Plato & cæteri Philosophi cognoscentes DEUM, & defendentes divinam curam circa genus humanum salvari potuerunt: Modo ad Idololatriam nec se nec alios converterint. *Novus apparuit hodiè in orbe Italo Aristotelicæ salutis propugnator acerrimus, Fortunius Liceus Genuensis, Philos. in Archigymnas. Bonon. qvi in opere suo Innocentio X. inscripto, antiqvum illum errorem amplecti non erubuit, subq; auspiciis Vicarii Christi, Pontificis maximi, Ecclesiarum vigilis & Parentis beatissimi orbi catholico at catholicoq; exhibuit. Is de Piet Arist. erga DEUM & homines l. 1. c. 16. sic scribit:* Qvanqvam verò Sepulveda, & alii plerique doctissimi Viri, itemq; pissimi Theologi

superioris ætatis rationibus affirmaverint, non sibi verisimile videri Phil. Arist. à DEO fuisse sempiternis cruciatibus damnatum, qvi strenuè pro omnium salute laborarit, qvi unum DEUM coluit, ac proindè divina misericordia non videtur indignus fuisse, nihilominus ego non aliunde certius, ac tantum non necessarium argumentum de salute animæ Arist haberi posse censeo, qvàm ex eo, qvod in articulo mortis, ut ab antiqvis monumentis acceptum refert Cœlius l. 17. c. 34. lachrymis peccata purgans, & spe plenus divinam misericordiam intentius implorarit. Sic igitur Aristotelem inter omnes antiqvos Philosophos ad veri DEI cognitionem & cultum, adeoq; ad veram pietatem accessisse maximè decernendum esse videtur. *Et ne qvis pro Liceto diffusam olim in omnes mundi partes mysterii incarnationis patefactionem adducat, Licetus ipse loqvitur in præf. qvam sic auspicatur:* Aristotelem Philosophorum ter maximum, Christianæ religionis expertem omninò fuisse certissimum est: adeoq; magistrum sapientum ea mysteria nostræ fidei non agnovisse, qvæ Jesu Christi divinis habita revelationibus ab orthodoxorum cœtu creduntur, unicuiqve compertum est. Verum enim verò supra vetustiores Philosophos omnes unum Arist. ad veram pietatem accessisse maximè, soloq; naturæ lumine fretum perspicacioris intellectus acie de summo DEO, reliqvisqve catholicam ad fidem attinentibus ea perspexisse, scriptisq; mandasse &c. efficiunt inter nostrates &c. *Ex orto, inqvam, Arist. τῇ Δμαρτίᾳ ἐσκολιασμένον reducturus non sum. Justificatum enim eum fuisse unqvam, eiq; factam remissionis peccatorum vel collationem vel obsignationem regulæ nostræ fidei negat. Conf. Gen. 22, 18. Gal 3, 8. 16. Rom. 3, 22. & c. 4. è qvibus sic inferimus: qvo fundamento Patriarcharum maximus*

Abraham

Abraham ἐν ἀκροβυστίᾳ ὢν, πατὴρ πάντων τῶν πιστευόντων δι' ἀκροβυστίας εἰς τὸ λογισθῆναι καὶ αὐτοῖς τὴν δικαιοσύνην, nixus justitiam & peccatorum remissionem assequutus est, eo & non alio omnis ἐν ἀκροβυστίᾳ ὢν assequi debuit & potuit. Atqui ἀπολυτρώσεως Ιησοῦ fide, non operibus, è sola DEI gratiosa manu accipienda, quam fidem per Apost. Ephes. 2. 11. & 12. c. 4. v. 18. gentes non habuerunt, (sic expirat vanissimum illud Javelli figmentum de fide implicita) *justificatus est Abraham Pater, & remissionem peccatorum assequutus est. Ergò, eo & non alio fundamento niti debuit & potuit πᾶς ἐν ἀκροβυστίᾳ ὤν. Credidisse verò Philosophum in Christum, ex ipso qva veritatis specie adstruas. Aliqvid dixisse eum de gratiâ DEI obtinenda per studium bonorum operum, seq; acceptum per Philosophiam suam Filium DEI Patris omnium futurum esse verissimè dicis, sed recubuisse in Jesu via eundi ad salutem unicè solatiosa & beatifica è scriptis ejus nec si te ruperis, erues.* Moriturum dolore ac spe in lachrymas profusum, misericordiam divinam intentiùs imploraſſe, DEUMq; in humana forma propter salutem mortalium apparere posse hominibus, qvo ab errore sevocentur mortales, vehementer approbasse, *qva de re Theod. Zwing. l. 7. vol. 2. Wolfg. Franz. in tr. de interpret. script. orac. XII. p. 159. Fort. Lic. l. 1. c. 16. Scriptis Philosophi repugnat.* hominiformes *enim* Deos ob plebem excogitatos esse *l. XII. met. c. 8. expressè asserit. imò si vel maximè statuisset DEUM ad homines descendere posse magno cum mortalium bono, nondum credidit futurum illum descensum: imò si hunc qvoqve credidisset, verba tamen si spectes, qvà ex amicis ejus patent, non plus faciunt pro adstruenda Philos. salute, qvàm pro Lystrensium Act. 14. Jovem suum & ἐρμῆν colentium.* Peccata excitasse in eo lachrymas & dolorem, elogium Viri *boni l. IX. Nic. c. 4. l. 1. MM. c. 21. c. 33. c. 34. &c. ut & habitudo societatis & amicitiæ qvæ sit inter DEUM & hominem, de qva l. 8. Nic. c. 13. non*

permittunt. Et fac imploraſſe Philoſophum Miſericordiam divinam, inq; lachrymas profuſum erupiſſe in hæc verba: Cauſa cauſarum miſerere mei; quid hoc pro Ariſtotelis perſpicacioris intellectus acie ſolo naturæ lumine freti ſalute adſtruenda? reprimit hanc vim incurrentis Liceti quod habet Apoſt. Rom. 4. v. 1. & 2. Reconciliationem apud DEUM quæſiviſſe Ethnicos ſacrificiis cæteris q; ad placandum DEUM inſtitutis cultibus paſſim affirmat Apol. A. Conf. Sed ſimul exaud tionis nullitatem contra vanam Pontificiorum propriis operibus fidentium jactantiam, juſtitiam q; carnalem inculcat, ne quis à precibus factis ad exauditionis certitudinem ſiniſtrè deſcenderet. Adde Matth. 6 v. 7. In fumum itaque abeat tot argumentis (reliqua habet Lic.) ſuffulta ſalus Ariſtotelis, ſeq; in voraginum profunditatem conjiciat ſuperbiſſima illa, inq; Jeſum noſtrum contumeliosa priſcorum Colonienſium vox, quibus cit. Melch. Can. l. 10. doc. Ariſtoteles pro Chriſto, Averroës pro Petro, Alexander pro Paulo habitus fuit. Neque quas Philoſophus impiè in ſinu ſuo fovit ſententias Chriſtianæ pietati, quam verus heſperus & phoſphorus (juſtitiæ hæc laus eſt ap. Phil. l V. Nic. c. 4.) ἑφώσπερ velut oracula obtruſurus ſum, æquè alioqui Chriſtiano nomine futurus indignus, atque priſca ſuperſtitioſiſſima Colonienſium ætas. Improbè ſtatuit Philoſophus exiguas vitioſarum radicum fibras, unde timeri aliqua poteſt pullulatio, quas cum homine naſci non ivit inficias l. 2. Nic. c. 9 σκοπεῖν ἢ δεῖ πρὸς ἃ ἡ αὐτὴ εὐκαταφερεῖς ἐσμὲν, ἄλλοι δὲ πρὸς ἄλλα πεφύκαμεν. l. 1. M. M. c. 9. l. 2. M. M. c. 6. l. 2. ad Eud. c. 5. & quid quid Φυσικὸν eſt, συγγνωμονικὸν eſſe, veniam q; mereri, cum nullum impoſſibile obliget l. 1. M. M. c. 9 inter alia συγγνωμονικὰ ea vitia recenſet, quæ quis vel à parentibus attraxerit, vel à temperamenti vehementiori & ſupra hominem exiſtente, invincibilem linatione hauſerit, ut quamvis ἀκολάστῳ, nihil tamen efficere poſſit pro impetu paſſionum reprimendo. Verba Philoſ. extant l. 7. Nic. c. 7. ὁ δὲ ἀπὸ ἰσχυρῶν καὶ ὑπερβαλλόντων ἡδονῶν ἡττᾶται, ἢ λυπῶν

λυπῶν

λυπῶν θαυμαζὲν, ἀλλὰ ἢ συγγνωμονικὸν, εἰ ἀνελεύθερον, ὥσπερ ὁ θεοδέκτης Φιλοκτήτης ἀπὸ τοῦ ἔχειν πεπληγμένος (abscindite manum dixit cit. Juv.) ἢ ὥσπερ οἱ κατέχειν πειρώμενοι τὸ γέλωτα, ἀθέσμον ἐκκαγχάζουσιν, qvi nituntur continere risum, & non possunt, sed effundunt majorem risum. *Imò patrem impunè posse τύπτεσθαι negare non videtur. inter* ἁμαρτίας namqve Φυσικὰς, *qvibus συγγνώμη μᾶλλον ἀκολουθεῖ tùm illius improbissimum & impiissimum factum recenset, qvi cum percussisset patrem suum, atqve ab astantibus reprehenderetur, dixit eis*, Pater meus percussit patrem suum, & ille Patrem suum, & ostenso filio suo parvulo dixit, & hic cum fuerit adultus percutiet me; *tùm illius, qvi cum à filio pedibus usqve ad ostium fuisset tractus, dixit filio:* qviesce, nec me extra ostium trahas; qvoniam & ego usqve ad ostium traxi patrem meum. *Suffundi videas à Philosopho frigidam eorum improbitati, qvi sibi caput abscindi malunt, qvàm illicitam alioqvi cum aliarum uxorum maritis, aliisve personis inconjugatis inhonestè coëundi potestatem præcidi, continentiæ impossibilitatem & irresistibilem passionum vehementiam causantes. Antidotum verò habes* 1. Cor. 7, 2. Gal. 5. v. 19. & 24. *Improbè statuit Philos. posse hominem* DEO *fieri* φιλέσεβον *suis operibus, numini exhibendo* καὶ δαίμονι *obsequium, qvamvis per opera non ut meritum. Felicitatem qvâ fias* θεοφιλέστατον *in* ψυχῆς ἐνεργείᾳ *posuisse certum est. Antidotum habes. Luc.* 17, 10. *Improbè statuit affectus* ἐξαίφνης γινομένους, *qvalis committi qveat subitò occurrente muliere* ἀπροσώπῳ, *cum viro* ἀπροσώπῳ *conciliari posse, contingere enim* ἀφύσιον l. 2. M. M. c. 6. *Antidotum habes Matth.* 5. v. 29. ὅτι ὀργίζεσθαι ἁπτόμενον ὑπερβολῆς ἐστὶ τὸ ἥλεων εἶναι *vocat l.* 2. *ad Eud. c.* 5. *duellorum amantium patronus maximus, & reputationis propugnator acerrimus. Antidotum habes Matth.* 5, 39. *Certè l.* 7. *polit. c.* 16. *insanit, ἀφ furiis agitatus scribit:* ὡδὶ γὰρ ἀποθέσεως καὶ τροφῆς τοῦ χαλεπαίνειν

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730139077/phys_0013
DFG

μένων lex sit: μηδὲν πεπηρωμένον (vitiatum corpore, surdum, cæcum, mutum, conf. Javell. *Phil. Christ. p.* 351) τρέφειν. ὠφέλιμον γὰρ δεῖ τὴν παιδοποιΐαν τὸ πλῆθος, *ad multitudinem enim nimiam evitandam antevenire oportet ut non concipiantur. DEUM secundùm leges, multitudinem etiam Deorum invehentes, & falsas in auditorum animis gignentes opiniones, coli voluit ad continendam in officio plebem. v. lib. de virt. & vit. Hinc ii etiam qvi ingentes politici videri volunt ad pedes Papæ impunè se posse prosterni, cum reliqva Pontificiorum multitudine Missæ interesse, genibusq; flexis ad elevationem panis à sacrificulo factam attollere manus augurantur. Antidotum verò habes Matth. 10. v. 32. 33. & Petri exemplum. Sed ingenuè intentionem Aristotelis de finis optimi amplitudine, optimam beatissimamq; in Disp. seq. hîc verò eorum qvi de ea minus benè mihi scripsisse visi sunt, sententias ponderaturus, inq; lucem DEO duce producturus sum. Sic ad rem.*

§. 1.

PRimus Aristotelis hostis cum suis asseclis prodit infensissimus, qvi cæco Zelo in Philos. detonat, vixq; orco dignum esse censet. Thomas Campanella is est, Italus *qvi in Philos. real. part. 3. c. 8. p. 162.* ita scribit: *Scientiæ Sophisticæ religioni contradicentes è Rep. expelli debent, ut docet Plato: Multa mala Gymnasium Aristotelis sub Antiocho intulit Judæis, & nunc Christianis: sicut Averroës & nobis, & suis Saracenis. Idcircò authorizari debet, qvi contra eos scribit, uxores alienigenas, id est, scientias gentilium, cum Esdra abjiciendo pag. 158.* Ubi de tribus causis aut fundamentis regnorum, DEO, prudentia, & occasione agit, miserum Aristotelem mirè vexat. Si Morionem dixeris, parum dixeris: si brutum ingenium attribueris, aliqvid dixeris: Stultorum stultissimum & Morionem excellentissimum salutat, si verba videas, si in sensum & consequentias inqviras. Qvæ Philosopho monstra affingat in lib. de gentilismo non retinendo, videat, cui libri copia datur. *Religio*, inqvit, *per qvam veneranda esse debet, non vulgaris, magisq; DEO*

naturæ

naturæ conformari, quàm artis. Sacerdotium vulgari minimè debet, ne dignitatem & reverentiam amittat. Stultissime Calviniani sese omnes (excipit Hugo Grotius ad h. l.) *singulosq; reputant Sacerdotes. At Aristoteles ex senibus militibus eos creat, non minus imperite, quàm impie, quasi religio non natura, sed actu stet.* In Tract. **von der Spanischen Monarchey** p. 7. splendidè mentitur, & Philosophum ut vilissimarum rerum spectatorem, Syderum verò motus reliquarumq; cælestium & divinarum rerum contemptorem vanissimum, negligentissimumq; in Scenam producit. Sic enim ibi: *Arist.* **hat solche hohe Ding (die unbewegliche Sterne / der Scorpion und der Stier haben ihre Stelle** mutiret/ **und die Sonn ist zehentausend Meil von der Erd gewichen / die æqvinoctia sind verändert / und begeben sich so viel Finsternissen / welche grosse Veränderung bedeuten) nicht gewust / sondern sich nur auff die** Logicam **und geringere Sachen begeben:** Qvibus inanibus Campanellæ figmentis ut respondeamus vix ipse mereatur. Dicam tamen aliqvid: I. Aristotelem diligentissimum, si intra naturam subsistas, rerum divinarum, & qvovis Scorpione sublimiorum rerum contemptorem extitisse falsissimum est. An Campanellæ parva res videtur totum regnum aut urbem velle in obseqvia DEI omnipotentis, cujus potentissimo nutu omnis mundus regitur, inq; suo esse conservatur; Principes verò ad imperiorum justitiam formare, ut numini gratiosissimo sit omnis homo φιλέσεβος l. 8. Nic. c. 10, 12 & 14. l. 10. c. 9. II. Scientias sophisticas religioni contradicentes è Rep. expellendas esse non negamus. Sed Aristotelicam repudiari debere, *imò esse eum authorizandum, qvi contra Philosophum scribit*, qvis nisi rerum Aristotelicarum ἄπεσος adstruat! *Multa mala intulit Christianis*; etiam multa bona. Ergò æqvè ego pro conservatione, atqve tu pro expulsione stabis, ut nil dicam de causa per se & per accidens. Uxores alienigenas non esse admittendas cum Esdra admittimus, & cum Campan. Esdræ subscribimus, sed in sensu composito, qvà sunt alienæ, qvà sunt uxores, vel qvà tales esse volunt, cum pedisseqvæ sunt & ancillæ; non verò qvà ancillæ, qvà famulæ. Aut ideò abjiciendus,

jiciendus, ejiciendus & comburendus est Arist. & velut auctor hæreseon, reliqvorumq; nescio quorum *(qvæ scio pro Camp. nihil faciunt)* impiorum dogmatum Patronus à Christianorum cœtibus segregandus, qvia benè, aut qvia male scripsit? non qvia benè, id enim iniqvum sit, non qvia malè, cum hoc demum probandum sit. Nos Paulum 1. Thess. 5 seqvuti dissipatis paleis frumentum, qvod ad rem nostram conducibile est, non repudiamus. III. *Aristotelem stultiùs qvàm stultissime, non minus imperite, qvam impie è militibus creari voluisse sacerdotes, cum religio natura stet, non actu,* Philosophum non ferit; qvippe cujus Respublica καλ' ὀχλω bona, optima, καθ' ὧ ἡ πόλις μάλις ἂν εἴη ὀλδαίμων l. 7. Polit. c. 9. l. 2. pol. c. 1. 6. 8. 9. &c. militem virum bonum esse vult, felicitatis diviniſſimæ participem. l. 7. pol. c. 9. φανερὸν ὃ, scribit Phil. ἅτων (ἱερέων) ἡ πόλις *neqve enim agricolæ, neqve artifex, neqve vilium exercitiorum qvisqvam sacerdos est deputandus.* ὁμοῖως δὲ τ πολιτῶν πρέπει μεθέξαι τοῦ θείου. *Sed cum distincti sint cives in partes duas, hoc est, in eos, qvi arma tenent, & in eos qvi consultant, & decens sit Dijs cultum exhibere, & requiem suscipere eos, qvi pro tempore in his laboraverunt* ἅτερος ἂν εἴη τ ἱερωσυνίας ἀπάδοτον, *his utique sacrorum cura demandanda.* Sunt ut vides, in Rep. Aristotelis necessarii γεωργοὶ, ut habeas alimentum; artifices, ut instrumentis ad vitam necessariis sis instructus; Mercatores, per qvos merces vel advehas, vel aliunde advectas distrahas, civibusq; & incolis dividas; Sacerdotes, Judices & ἄρχοντες; sunt arma tenentes. Artifices, Mercatores è civium numero *(bene hîc an male determinet Philos. aliorum judicium facio, neqve etiam per ipsummet Phil. semper verum est, si Politiam secundùm qvid optimam spectes)* tollit, cum vilis sit hujusmodi vita & virtuti adversa, cumq; opus sit qviete & otio ad virtutem comparandam & Remp. gubernandam. Sacerdotes, Milites & ἄρχοντας solos Phil. cives facit. Sunt autem per ipsum milites, juvenes virtute potentes, exercitati in omni genere virtutum tùm theoreticarum tùm practicarum, qvibus ad felicem vitam homo indiget, ut per ipsos vim externam propulses, & inobedientes in

potestatem

potestatem redigas. Ergò si è vili hominum consortio, qvod virtutis studiosum non est, nemo ad sacerdotalem dignitatem per Phil. est provehendus, qvid impedit, cum sacerdotem civem primarium esse scribat, qvò minus è milite fiat sacerdos, stante dignitate sacerdotii? Loqvimur enim de Republica, qvæ καθ' ἀυτὸ bona, qvæ sibi sufficiat, qvæqve ex se sumit qvæ necessaria sunt, qvæqve reqvirit viros bellatores, ingenuos tamen, justos & virtutum studiosos ad depellendas injurias & propagandam justitiam Conf. l. 7. polit. c. 2. Fuere tales milites in populo Israëlitico Reges, Sacerdotes & Prophetæ, viri justitiâ cæterisq; tùm docendi, tùm vivendi virtutibus præ mille Campanellis insignes. *Senibus Arist. committit sacerdotium* non ut vilescat DEI cultus, sed ut altius in animis auditorum ascendat, vigeatq; & floreat. *Senum est sacerdotium*, qvia his major inest prudentia, qvàm juvenibus. Senum non omninò imbellium, aut officio Ecclesiastico ritè fungî non valentium; sed senum in oppositione ad juvenes, qvorum prudentia tanta non est, qvæ ritè possit præesse populo, ἡ μὲν δύναμις, inqvit Phil. ἐν τοῖς νεωτέροις, ἡ δὲ φρόνησις ἐν πρεσβυτέροις. Certè ἀξίως meminit Arist. & distributionem, si è militibus fiunt Sacerdotes, καθ' ἀξίαν fore pronunciat, &, qvod Sacerdotii dignitatem auget, *laborum bellicorum & pacis recuperatæ præmium constitui debere asserit.* Dignius est ergò officium qvàm qvod suscipiat is, qvi virtutibus suum statum exornantibus est instructus, nihil tamen pro patria gessit. Et ut ad Camp. redeam, sic infero: si is impunè sacerdotali collegio potest inseri, qvi donis sufficientibus est instructus, vitamq; vivit vitiis flagitiisve enormibus non contaminatam, multò magis miles *(Aristotelicum militem intelligi volo, non latronem, aut qvemvis alium nebulonem)* qvi ea omnia supponit ἱερεῶν consortio adjungi potest. At prius est verum: qva enim alioqvi audacia & fronte perfricta in pugnam iturus esset cum Apost. Campanella, Tit. 1. 1. Tim 3. Ergò & posterius. Campan. fallit vox *(miles)* nos salvat. Impietas itaqve hîc nulla est, nulla improbitas. Qvod autem Camp. existimat fore sic *ut religio non natum, sed actu stet*, frustrà dicitur. Religionem actu stare h. e. uti

vult oppositio à Thoma facta, lege esse invectam mutabili, variabili & delebili, Arist. nusquam asserit, si religionis totum, non verò si religionis qvodvis intuearis. Hoc enim si spectes, habebit cum Arist. Israëliticam Ecclesiam æqvo pede se metientem. Si illud, Arist. dicit adversum. Certè coli vult à filio Patrem, idq; verum esse fatetur, si vel maximè nullus legislator legem de ea re in ulla Republ. fixisset, ut qvò sublimior Parens est DEUS, sanctiùs sit colendus. Sæpè Δία Patrem dicit, qvem sufficienter nemo colere possit, cum omnis cultus sit minor, qvàm qvi tanto Parenti sufficiat. Conf. l. 9. Nic. c. 1. &c. Ex his videas qvæ finis Aristotelici angustia à Camp. Philosopho nostro falsò tribuatur. Qvod si enim *è Scholis ejiciendus est, cum insigni ejicientium præmio, si superiorum & divinarum rerum fuit contemptor, si sacerdotium vile ministerium dixit, si religionem omnem actu constare asserit*, aut nullum, aut valdè exiguum ejus fuisse scopum & finem, vixq; humanum dicendum esse, qvis non videat, & mecum asserat, Philosophumq; eximium benè de Philosophantium Collegio meritum vile carnis mancipium, & servorum neqvissimum constituat, cui vel solem invideas!

§. 2. Campanellæ vestigiis egregiè ingreditur P. Ramus Prof. Parisiensis: qvi *lib. 1. de rel. Christ. c. 25. Ethnicis*, scribit, *qvibusdam cœlestis remuneratio nota fuit, Aristoteles autem providentiam DEI, & animæ immortalitatem deriſit, alteram illa cœlesti vita spreta & contempta, beatitudinem hominis non in aliâ qvàm in hac mortali vita statuit.* Idem *in orat. Philos. discipl. Puer*, inqvit, *impietates multas ex Aristotele discet, beatitudinis principium ex homine oriri, beatitudinis finem in homine terminari, DEUM ad hæc opera, qvamvis magna & divina vel adjutorem vel artificem nusqvam adhiberi, divinam providentiam ex hoc humanæ vitæ theatro removeri, de justitia divina verbum nullum fieri, animas mortales esse, ideoq; beatitudinem in hac caduca vita poni. Nos sanctiores contemptis majorum institutis hanc Arist. Philosophiam non modo non rejicimus, sed (proh pudor!) Christianæ religionis velut fundamentum fecimus.* Eadem ferè legas apud Sam. Maresf Prof. Gröning. *in sen. dissert. diss. 5.* qvi non per occultas ambages, sed aperta professione

Philoso-

Philosophum nostrum μωροσοφον pronunciat, qvamvis non malè salutem æternam ei deneget. Sic enim in illa differt. *sed qvis salutem æternam promittat impuro huic* μωροσόφῳ (talis non est, si è scriptis eum Judices. Morosophum si dixeris, qvod multa qvæ plebis ineruditæ opinioni erant adversa scriptis inseruit, nil promoveris: habebis enim ὁμόψηφον Philosophum l. X. Nic. c. 8. & paria eruditissimis tribuentem; Sin verè talem, erras, & Aristotelem ignoras. Sanctior Apol. Aug. nostræ Conf. Philosophum, si eum qvoad prudentiam mundi & intellectum luce superiori destitutum è voluminibus qvæ hodiè extant Judices, maximis laudibus celebrat. Sic enim de eo *f. m. 61. Aristoteles de moribus civilibus adeò scripsit eruditè, nihil ut de his requirendum sit amplius) potius qvàm Philosopho, immortalitatem animæ neganti, fabulis anilibus annumeranti, qvæ de præmiis & pœnis post hanc vitam vulgò creduntur, singularia, fortuita & sublunaria subtrahenti providentiæ divinæ.* Melchior Canus Episcopus olim Canariensis, & in Academia Salmanticensi Præfectus, qvamvis nonnunqvam honestè de Philosopho sentiat, *lib.* tamen *10. loc. cap. 5. ex eo*, inqvit, *nata sunt in Italia pestifera illa dogmata de mortalitate animi, & divina circa res humanas improvidentia, si verum est qvod dicitur, nihil enim præter auditum habeo.* Idem *p. 279. ex Aristotele* probare nititur *negasse eum DEI providentiam, præmiaq; & supplicia post mortem.* Finis itaqve Aristotelici amplitudo per hos ea est, ut is omnis in hac caduca vita pietate in DEUM destituta, & sine Numinis beatissimi gubernatione & directione instituta, ponatur, qva expirante expiret & ipsa, neqve aliud post mortem relinqvatur, qvàm ut dici possit, hic beatus fuit juxta Solonis sententiam. Fundamenta hujus assertionis sunt DEI improvidentia, justitiæ divinæ silentio oppressæ tacita oppugnatio, animæ post mortem mors, & fortunæ dominium: qvibus ut feliciùs evidentiùsq; obviam eamus, & qvæ falsò posita fundamenta, solo æqvemus, redigemus omnem rem in certas conclusiones, qvarum PRIMA hæc esto: DEI qvi reliqvorum omnium minorum Deorum, & βασιλέων βασιλεὺς est l. 1. pol. c. 12. providentia se extendit ad hominem. (de cæteris entibus homine vilioribus ut

dicam, præsens institutum reqvirere non videtur, licet & de ea qvæ circa vilia est providentia simùl, incidenter tamen, nonnihil dicturi simus, & mentem nostram declaraturi) Frustrà arrodit, qvod posuimus, Albertus Kyperus Med & Phys. Prof. in Athen. Bred. qvi *in Præf. instit. phys. adlect. Neminem*, scribit, *nisi hospitem in Aristotelis scriptis & in Theologia ignorare, qvàm contraria Theologiæ de providentia DEI, de summo bono &c. Arist. doceat.* Lectoris hîc arbitrium valebit. Nos dicimus I. DEI potentia per Philos. est infinita. *Rectè* per ipsum l. 6. *Eth. Nic. c. 2. inqvit Agatho: renamqve sola hac ipse privatur DEUS, ut facta minimè infecta possit reddere.* DEUS ergò omnia potest, neqve qvicqvam excipi debet, nisi illud unicum, qvod est ex facto infectum facere. Ergò potest omnem orbem regere, & gubernare omnem actionem hominis, & qvi sunt motus rerum vilissimarum, qvas pulice aut pediculo non commutes. II DEUS gubernat mundum, & solus gubernationi sufficit. Expresè Philos *l. 3 pol. c. 13. si qvis excellat virtute qvid de eo faciendum, non enim dicendum est, ut talis vir sit de civitate pellendus. Atqvi nec gubernationi aliorum talis vir erit subjiciendus.* Παραπλήσιον γὰρ καὶ ἐπὶ τοῦ Διὸς ἄρχειν ἀξιοῦσιν μεμιζοντες τὰς ἀρχάς. Potestas itaqve & regimen DEI divisum non est. Nemini DEUS est subjectus, ipse gubernat omnia, & sibi omnia subjecta habet. gubernat autem optimè l. 4. pol. c. 2. ubi regnum seu imperium βασιλικὸν dicitur esse divinissimum. Connexio ergò Philos. hæc est: Viri divini, qvia divinius ejus est regimen, optimum est; Optimum verò non qvod benè scit regere, sed qvod actu benè regit. Ergò DEUS qvàm maximè scit gubernare mundum universum, eundemq; gubernat. III DEUS per Philos. concurrit ad omnem rem, qvæ sub sole est, ut is sit causa & ἀρχὴ omnium. *L. 1. Nic. c. 1. ex communionis diffusione contendit politicam esse Ethica divinioremi.* Ergò si qvô qvid communius, & pluribus per multiplicabilitatem infusionis S. Boni communicabilius, eò est divinius, DEUS sine dubio communicabilissimum ens est, & communissimum, adq; omnia entia, inprimis hominem, cui summum bonum infundi debet propter naturalem ejus ad hoc ordinem diffusivum.

sivum. *L. 7. ad Eud. c. 14.* λόγῳ inqvit, δ' ἀρχὴ τοῦ λόγου, ἀλλὰ πρεῖττον. Τί δ' ἂν πρεῖττον εἴη ἐπιστήμης, εἰ μὴ θεός. *rationis non est ratio, sed præstantius qvidpiam principium, qvid autem scientiæ præstantius est, nisi DEUS?* Et paulò ante omninò ad sensum Apostolicum *Act. 17, 28.* δῆλον δή, (ne putes tibi fabulam narrari. arrigat hîc aures Ramus, & Canus, & Maresi. & qvicunqve cum his) *patet autem sic esse:* ὥσπερ ἐν παντὶ ὅλῳ θεὸς, ἐν πᾶσι ἐκείνῳ, *qvemadmodum in universo est DEUS, & vicissim cuncta in illo,* κινεῖται πως (ne illud πως Philosophi hostis sibi dictum esse putet, sciat per virtutem hominem fieri πως; non aliqvalem extenuativè, sed talem. non itaqve aliqvaliter, aliqva ratione & modo movet DEUS, sed taliter movet, sic & sic movet, ut fiat motus hic, futurus alioqvi vel nullus vel alius) πάντα δὲ ἐν ἡμῖν θεῖον. *moventur enim omnia ab inexistente nobis numine. L. 7. pol. c. 4.* ὁ δ' ἦν λίαν, inqvit, ὑπερβάλλων ἀριθμὸς τοῦ δυνάσθαι μετέχειν τάξεως. Θείας γὰρ δὴ τῆς δυνάμεως ἔργον, ἥτις ἡ τὸ πᾶν συνέχει τὸ πᾶν. *divinæ namqve potestatis hoc jam opus est, qvæ sane universum hoc continet.* Lamb. *moderatur & continet.* IV. DEUS hominum omnium pater est, ejusq; regimen paternum, œconomicum & βασιλικὸν est, ut, qvemadmodum is, qvi verè Pater est, in sua domo sic versatur, ut omnia qvæ sunt & fiunt in ipsa disponat & constituat, suisq; filiis qvàm potest optimè consulit, eoq; summa vi annititur (conf. pacta qvæ eiguntur inter Sponsum & Sponsam de filiorum educatione *l. 1. æc. c. 3. & c. 7.*) ut filios habeat morigeros & probos, futuros aliqvando Patriæ antistites & cives in Rep. optima optimos, ut, qvemadmodum bonus œconomus omnia videt, adq; nutum suum componi jubet, rerumq; omnium ὅσα ἐνδέχεται curam suscipit δ' αὖτὸ (*opportunum fuerit inqvit Philos. l. 1. œcon. c. 6. dictum tàm Persæ, qvàm Afri. Ille enim interrogatus, qvid equum maxime pinguem efficeret,* Domini, *inqvit, oculus. At Afer interrogatus, qvodnam stercus esset optimum, Domini, inqvit, vestigia*) ut, qvemadmoum cura boni Principis se diffundit per omnem principatum; ita DEUS in hac domo, mundo universo versetur. *L. 8. Nic. c.* juxta *al. 10.* juxta *al. 12. Patris,*

inqvit,

inqvit, *societas figurum regni habet*: τ τέκνων γὰρ τῷ πατρὶ μέλει, ἐντεῦθεν ἡ καὶ ὅμηρος τ Δία πατέρα θεῶν καὶ ἀνθρώπων προσαγορεύει, *qvippe cum Patri cura filiorum sit, unde etiam Homerus Jovem Patrem appellat, eò qvod regnum paternum imperium esse debet.* *L. 1. pol. c. 12.* ubi rationis tuendæ rei familiaris tres esse partes dicit, δεσποτικὴν, πατρικὴν & γαμικὴν, ostensurus paternum imperium esse βασιλικὴν, Homerum adducit, & de eo sic scribit: διὸ καλῶς ὅμηρος τ Δία προσηγόρευσεν εἰπὼν πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε τ βασιλέα ἅπάντων, γάρ enim δεῖ βασιλέα αὐτὸν εἶναι; qvod posterius habes *Act. 17.* γένος ἔν ὑπάρχοντες τ θεῦ &c. Ergò ἡμῶν θεῷ velut Patri μέλει. Et qvi diligeret, qvorum curam non susciperet! At filios suos diligit, & amantem se amat. V. DEUS nuptiarum & conjugiorum Dominus est & Patronus, *cui curæ cordiq; sunt hominum γνώσεις l. 7. polit. c. 6. disponit circa marem & fœminam. l. 3. œc. c. 3. Leges imponit mulieri* πρὸς τὸν γάμον *l. 1. œc. c. 7.* De gubernatione remunerativa & punitiva seqvens conclusio verba faciet. Restat, ut ad locum qvem habes apud Philos. *l. X. Nic. c. 9.* veniamus, eumq; simul ab instantiis vindicemus. Locus insignis est, àq; Cano (de hoc Baron. *T. IIX. annal ad An. Christi 681. Canum voluisse sensibus potiùs Canum qvàm nomine*) imprudenter allegatus *l. X. loc. c. 5.* ubi ille sic scribit: *Arist. l. 10. Eth. qvod si Dij, inqvit, curam habent aliqvam humanarum rerum, qvemadmodum existimatur & creditur, rationabile est, eos amantibus mentem, honorantibusq; favere &c. Nota ut existimatur & creditur.* Falsam hic potius hominum opinionem, qvàm suam mentem Cano videtur Phil. exponere: Sed ad verba. Philosophus ita scribit *l. X. Nic. c 9.* ἐ δὴ νῦν ἐνεργῶν ἡδοφιλέστατον. εἰ γάρ τις ἐπιμέλεια τ ἀνθρωπίνων γίνεται, ὥσπερ δοκεῖ, καὶ εἰκὸς ἂν εἴη ἔυλογον χαίρειν τ αὐτῆς τῷ ἀρίστῳ καὶ τῷ συγγενεστάτῳ. τοῦτο δ' ἂν εἴη ὁ νοῦς, *nam si aliqvam rerum humanarum curam Dij habent, sicut videtur, consentaneum est ipsos re illa, qvæ optima est, atqve ipsis maxime cognata delectari, qvi est intellectus.* Ad qvæ noto 1. qvamvis aliqvando vox illa δοκεῖ, qva sola Canus nititur, (exponit eam, *existimatur & creditur.* Averroës, *ut creditur, & ut debitum est*)

videatur

videatur categorici sensus expressiva non esse, non tamen id semper fieri. Obstat *l. 8. Nic. c. 16. l. 2. ad Eud. c. 7.* &c. 2. Voce δοκεῖ exprimi dicto loco ipsissimam Aristotelis mentem. Postqvam enim exposuisset, qvæ sit habitudo viri boni ad exteriora bona, relicturus stimulos in animis lectorum, eosq; ad colendam vitam inflammaturus, & viri σοφοῦ præstantem dignitatem piorum mentibus subjecturus, ostendit, qvæ sit ejusdem habitudo ad DEUM. Ita enim infert ὁ ᾧ &c. Ergò longè sublimius innuere voluit, qvàm innuerat ante. frustra verò sic intulerat Philosophus, si sic duntaxat crederetur, ut sine causa Canus suspicatur. Imò Philos. ex dictis conclusionem infert, qvam à Viro σοφῷ acceptari vult, qvæqve sine dubio mentem Arist. declarat. Ea autem hæc est: *Hæc autem omnia sapienti inesse obscurum non est.* Θεοφιλέστατος ἄρα, *Igitur est DEO charissimus.* Τὸν αὐτὸν δ' εἶναι καὶ εὐδαιμονέστατον εἶναι. ὥστε κἂν ὅτιοῦν ἔπῃ ὁ σοφὸς μᾶλλον εὐδαίμων. Εὐδαιμονέστατος ergò Θεοφιλέστατος. Ratio hæc est, DEO enim qvod συγγενέστατον curæ cordiq; est. 3. Vocem illam δοκεῖ eo ipso cap. per ἔοικεν à Phil. exprimi. ὁ ᾧ, inqvit, καὶ νῦν ἐναργῶν Θεοφιλέστατος ἔοικεν εἶναι. At hæc vox c. 9. aliqvoties sensum Philos. perspicuè manifestat. Rem enim 1. ante dictam & probatam testimonio Anaxagoræ evidentificaturus, ea utitur, ἔοικε ᾧ, scribens, καὶ Ἀναξαγόρας &c. 2. Verificaturus qvæ sit affinitas inter λόγον & δόξαν σοφοῦ, *sapientum*, inqvit, *opiniones cum rationibus consentire* ἐοίκασι; πίστιν μὲν ἔν τε τοῖς αὐτοῖς ἔχει τινά. Liqvet magis, qvod dixi, si dignitatem σοφοῦ & φρονίμου consideres, qvam eousqve evehit Philos. ut regulam agendorum constituat in definitione virtutis, & *l. IX. Nic. c. 4.* ὁ σπουδαῖος, inqvit Philosophus, ὁμολογούμενόν ἑαυτῷ. Σοφὸν verò à φρονίμῳ ut hîc distingvam opus non est, cùm promiscuè hîc capiatur à Philosopho, neqve minor sit conjunctio inter λόγον & δόξαν σοφοῦ specialiùs sic dicti, qvàm est inter λόγον & δόξαν φρονίμου. Suffragantur huic expositioni Averr. in expos. moral. Nic. P. Victorius

ctorius Florent. p. 602. Chrysost. Javell. p. 144. Franc. Piccolom. grad. 9. c. 26. p. 811. Locum qvem è Metaph. affert Canus ut ab instantiis vindicem instituti ratio non reqvirit. Concl. II. Justitiam divinam dispositivam & distributivam, tùm remunerativam, tùm punitivam Arist. non ignoravit. Ramo & ὁμοψήφοις hæc est conclusio opposita, qvorum impudentissima vox est, *Aristoteles de justitiâ divinâ verbum nullum fecit.* Fluit ejus veritas non invito Ramo è veritate prioris. à negatione enim providentiæ ad remunerationis negationem descensum à Ramo fieri supra vidimus. Patet autem ea amplius *I. ex Eth. Nic. l. X. c. 9.* ubi Philos. ἡ γὰρ ἂν τις, inqvit, ἐπιμέλεια τ ἀνθρωπίνων εἶναι τ θεῶν γίνεται, ὥσπερ δοκεῖ, καὶ εἴη ἂν ἔλογον, χαίρειν τε αὐτὲς καὶ ἀρέσκω, ἃ τῷ συγγενεστάτω, καὶ οὗτ ἀγαπῶντας θεὸ ἃ ἡμῶν τὰς ἀνθρωπείων, ὡς τ φίλων αὐτῶν ἐπιμελουμένους, ἃ ὀρθῶς ἃ καλῶς πράττοντας. Averr. in expos. *DEUS gaudet de eo, qvi nititur ei assimilari valdè, & hic est intellectus. Dignus est ergò ut benefaciat eis, qvi amant ipsum plus, & ut honorificet eos, & visitet ipsos: sicut est dispositio amici cum amico suo:* Adde P. Victor. & Chrys. Javell. Nihil hîc ais de DEO remuneratore scelerumq; vindice agi? ἀνθυπηφορᾶς utiqve meminit Phil. qvæ vox sine dubio qvàm commodissimè de remuneratione accipi potest & debet, ni me Philologorum lexica fallunt. Meminit σοφῶν, meminit Φρονίμων, eorum qvi ὀρθῶς τε καὶ καλῶς πράττουσι, qvi DEUM ἀγαπῶσι καὶ ἡμῶσι, meminit φιλίας & delectationis, arctissimæ illius conjunctionis qvæ amico est cum amico, qvæ definiente Phil. *l. VIII. Nic. c. 2.* ἔνωσις est μὴ λανθάνουσα ἐν ἀνθυπαντήσει. Repassio autem qvoad hominem infert amorem, honorem, mentis cultum, & promptitudinem agendi qvicqvid nutui divino conforme est; qvoad DEUM, mutuum amorem, benevolentissimumq; affectum, & remunerationem, qvæ in exhibitione & conservatione eorum bonorum potissimùm consistit, qvæ sunt vel maximè bona, qvæq; hominem DEO ὅμοιον faciunt, qvantum qvidem nunc, dum sumus inclusi in his compagibus corporum nostrorum fieri potest. Conf. *l. IX. Nic. c. 4.*

Nic. c. 4. Observo verò hîc Aristotelicam illationem pro justitia DEI punitiva. DEUS afficit σοφὲς, & qvi καλῶς τε καὶ ὀρθῶς πράττουσι beneficiis, eorumq; φίλον, & qvasi alter σοφὸς, alter homo φρόνιμον esse cupit, qvia σοφοὶ sunt, qvia φρονίμοι sunt, qvia benè agunt, DEUM amant & honorant. Ergò cessante ratione inferendorum bonorum cessat ipsa remuneratio. E ἄσοφον, ἀφρόνιμον extra φιλίαν DEI constitutus DEUM non remuneratorem, sed vindicem habet. Ostendit id ipsum vox ἀνθυποιῆσαι, qvæ reqvirit actionem agentis hominis bonam, & vicissim promittit futurum, ut DEUS benè faciat homini, id juvando & promovendo, qvod optimum, qvodq; præstantissimum, & cæteris ad vitam optimam hominis pertinentibus ditando. 2. *l. r. œcon. c. ult.* ubi futura benè actæ vitæ commoda recenset, DEUM remuneratorem benefactorum liqvidissimè pronunciat. *Hoc autem*, inqvit, *in certamine victori præclarissima præmia* (ἂν μέγιστον) *divinitùs tribuentur. Primùm enim, qvemadmodum Pindarus ait: dulcis cor alens, senectutis nutrix, simul eminet spes. Deinde nutrimentum, qvod ætate confectis & effœtis corpore à liberis rependatur.* Præmia, ut vides, duo sunt, μέγιστον unum; alterum minus μέγα; hoc est nutrimentum, eorumq; exhibitio & porrectio, qvæ hominem solent ab interitu servare; illud, τὸ μέγιστον, majus qvàm omne nutrimentum, spes est ἐλπὶς, non ea, qva confidas fore, ut te tui liberi nutriant, qvî alioqvi esset τὸ μέγιστον? Si μέγα & majus ipso nutrimento, ad hoc referri non potest. Spes qvoqve ad id terminatur, cujus præsentia spe delectabilior; Sed *qvæ*, ut verbo dicam, *de futura beatitudine concepta est.* Spes enim illa γηροτρόφον καρδίαν ἀταλλοῦσα. E. per omnem senectutem se diffundit. Et si spes est, futurorum, absentiumq; est, non præsentium, non præteritorum, qvorum meminimus. Finio Concluſ. II. loco illo præ multis aliis insigniter claro, qvi *l. 2. M. M. c. 8.* extat, in qvo qvod hactenus asseruimus perspicuè animadverti potest; τὸ θεὸν, inqvit ibi Phil., ἀξιέραστον κύριον ὄντα τῶν βιάτων, τοῖς ἀξίοις ἀποτέμνειν, καὶ τὰ ἀγαθὰ, καὶ τὰ κακά. καὶ διὰ τοῦτ' (DEUM esse

UM esse κρίτην φαῦλον ἢ τὸ δίκαιον) τὸ πρόσωπον ἐστι τῷ θεῷ. DEUS ergò verissimus Judex, & distributor præmiorum pœnarumq; æqvissimus, justissimusq;. Concl. III. Anima cum corpore non expirat, sed est immortalis, ſ. ut cum Jav. loqvar, est in horizonte æternitatis. I. Si DEUS gubernat omnem mundum, & inprimis actiones hominum moderatur, estq; justissimus æqvissimusq; judex, qvi dignos ἀποδιδῷ τῇ τ' ἀρετῇ, τῇ τε κακίᾳ; ea verò exeqvutio in hac mortali vita sæpe fic differtur, ut nunqvam appareat (posse πρᾶδαιον in tantas calamitates incidere, qvantas vix unqvam orbis viderit, âq; pessima fortuna, cui fortassis exemtus sit ὁ φαῦλος, opprimi & extingvi dat Philos. *l. I. Nic. c. 10. & 11.*) per immotam consequentiam sequitur, DEUM post mortem judicem fore dignis bona malave retribuendo. DEUS enim φαῦλος κριτὴς dici non potest. δίκαιος E. κριτὴς judicabit. Si non hîc E. alibi, si non animam cum corpore, animam tamen sine corpore excruciabit. Qvousqve verò, gentilium speculatio fortè non vidit. Cic. *in somn. Scip.* putat *impios corporibus elapsos circum terram ipsam volutatum iri, nec in locum excelsum, nisi multis exagitatos seculis reversuros esse.* II. *L. VIII. Nic. c. 16.* Philosophus criminationibus, qvæ in amicitia κατ' ὑπεροχὴν dicta ex inæqvalitate oriri solent, obviam iturus, dissidentiumq; animos compositurus ἐν τῷ πρὸς τὸν θεὸς, scribit, ὑμεῖς καὶ γονεῖς ἄδηλοι τὴν ἀξίαν τοῖ ἀποδοῖη, *in honoribus, qvi Diis aut parentibus exhibentur, nemo dignam referre potest gratiam*, hæc cum ita sint pergit Philos. κἂν δόξειεν τὸν ἐξεῖναι ὑῷ πατέρα ἀπεπαδειν, πατρὶ δ' ὑὸν. ὀφείλοντα γὰρ ἀποδοτέον. ὁδὲν ἦ παῖσας ἄξιον τῶν ὑπηργμένων δέδρακεν, ὡς' αἰεὶ ὀφειλὴ, οἷς δ' ὀφείλεται ἐξουσία ἀφιέναι, ἢ πῶ πατρὶ δῆ. *At qvicqvid fecerit filius, nihil dignum collatis beneficiis fecit. Qvare semper debet: qvibus autem debetur, iis dimittendi* (rectè P. Victor. *extrudendi, ejiciendi è domo.* Synonyma namqve sunt ἀποστεῖλαι, ἀφιέναι & ἀπεπαδειν. Docet id ipsum qvoqve vox illa correctiva ἔμως, qvæ apud Phil. sequitur) *est facultas.* Rigoris mitigationem subjungit Phil. & docet (verba

sunt

sunt Victorii) neminem Patrem consensu omnium hûc perventurum esse, domoq; ejecturum filium, nisi ob insignem aliqvam ejus improbitatem. Ita enim Philos. ὅτῳ ἢ ἴσως κἄδηλος πάλ' ἂν δοκεῖ μὴ ἐπιεικὴς εἶναι καὶ μοχθηρός. χωρὶς γὰρ τῆς φυσικῆς φιλίας τοῦ πατρὸς ἐστὶν ἀνθρώπινον μὴ ἀνιᾶσθαι, τῷ δ' ἀπαιδεύτῳ ἢ τῷ ἀπειθεῖ τὸ πατρικὸν μοχθηρῷ ὄντι. Ex dictis colligo 1. DEO & parentibus homo se nper debet. 2. Homo à DEO potest rejici μοχθηρὸς ὤν, item filius à Patre. 3. Homo á DEO, filius à Parente μοχθηρὸς ὤν rejici debet. Ergò, ut scias qvid velim, qvemadmodum in humanum est, filium e more sui Parentis viventem, & κατ' ἀξίωσιν eum honorantem, è domo ejici; qvemadmodum in humanum est subtrahi pio filio cibum & alimenta, eaq; qvibus tùm vita sustentatur, tùm benè colitur, ita qvidem ut parens semper servet, & nunqvam nisi mors intercesserit, necessariave divulsio sejunctionem fecerit, filium repudiet; ita qvoqve Parentum parens hominum Deorumq; DEUS, τὸ θεῖον maximum & ἄριστον, hominem κατ' ἀξίωσιν se colentem repudiare non potest, eiq; ea subtrahere, qvibus in non esse resolvi qveat. E. servat DEUS hominem, & qvia ἀπταῖστος perpetuò probus, perpetuò servat. E. post mortem servat. E. in omnia secula servat. E. anima est in horizonte æternitatis. Nulla enim hîc est metuenda necessaria divulsio, & impotentia à parte DEI. At Pater ni per mortem sejungeretur à filio, qvia filius probus probus est, perpetuò servaret filium, neqve unqvam ab eo sejunctionem faceret. Perpetua itaqve est relatio inter filium probum, Patrisq; auxilium & conservationem; inter hominem qvi DEO grata opera præstat, DEUMq; redamantem (ut nihil dicam de φιλίας natura. Velle enim suum φίλον in nihilum redigi, cum possit ab interitu vindicari, amicitia non permittit. Perpetuitatem verò in esse in bonis numerari suppono), hominem facientem, DEUMq; conservantem. De potentia enim DEI non dubito, de qva supra. De voluntate, si DEUM Patrem esse credo, non ambigo. Video qvidem posse mihi hic objici præsentem piorum

mortem, & interitum, qvi collectionis veritatem impedire videatur. Sed id non est. Non hîc adduco ea qvæ habet Cic. in Somn. Scip. qvi insigne DEI beneficium existimat è corpore elabi, & in æternam domum discedere, ubi beati ævo sempiterno fruuntur; sed Philos. nostrum intueor, è qvo objectionem modo factam sufficienter dilui posse non dubito. Philosophi scopus est, ex homine ὁμοίωσιν θεῷ facere *l. X. Nic. c. 8.* in qvo felicissimam felicitatem à Phil poni is non negat, qvi non ignorat, qvæ fiat à Phil. distinctio inter felicitatem theoreticam & practicam, illiusq; præ hujus excellentia dignitatis amplitudo. Homo per Phil. qvà corpus habet, θεόν non est, sed qvà animam habet, qvà νῦν habet, hominemq; animam dici aliqvoties audias *l. X. Nicom.* Ergò DEUS servando νῦν servat hominem, eumq; servando sine corpore majus qvid facit. Beneficium ergò est hominem, qvà compositus est, servare; at majus servare sine corpore, majoribusq; & pluribus ineffabilis theoreticæ felicitatis gradibus beare. Beneficium est filium à Patre vestibus contegi necessariis, majus; eam perfectionem filio tribuere, qvæ his non indigeat. III. *L. IX. Nicom. c. 4.* egregiè Philos. τὸ μὲν ἀγαθὸν τὸ ἀγαθὸν ἀμπονεῖν, καὶ ἑαυτῷ ἕνεκα· τὸ δὲ ἀμπονηλικὸν αἱρεῖν ὅπερ ἕκαστος ἂν αὐτὸς ἑλοῖτο καὶ ζῶν ἢ βέλτιστα ἑαυτὸν ἢ σώζεσθαι καὶ μάλιστα ἅπτα ᾧ φρονεῖ. ἀγαθὸν μὲν τὸ σπουδαῖον τὸ εἶναι. ἕκαστον δ' ἑαυτῷ βέλτιστα ἂν ἀγαθά. ἔχει δὲ καὶ νοῦς ὁ θεὸς ἢ ἀγαθεῖ &c. δόξειε δ' ἂν τὸ νοῦν ἕκαστος εἶναι μάλιστα. Audias hîc 1. σπουδαῖος vult se esse & vivere ᾧ φρονεῖ, qvà homo est, cum τὸ νοῦν sit ἕκαστος, inq; eo bono comparando studium ponit. Vult autem intellectum seu τὸ νοῦν eatenus & eousqve perfici, ut sit & hic & nunc & sine corruptione incorruptibiliter post mortem hominis perfectus. 2. Vult id ipsum omnis probus. σπουδαῖος enim μέτεχον est *l. IX. Nic. c. 4.* ᾧ φρονεῖ. Ratio conclusionem nostram confirmat, & in ipsa voce φρονεῖ continetur. Vult σπουδαῖος se esse maximè qvà νῦν ἔχει; qvia secundùm cætera qvæ ei accidunt bona, perit, sola verò prudentia & sapientia cum incorruptibili & impassibili DEO conveniunt.

niunt: ἔχει γὰρ καὶ νῦν ὁ θεὸς τὸ ἀγαθὸν. DEUS vult qvod habet bonum, voluit, & qvia bonum est, appetiturus est sine fine; appetitu neqvaqvam præpostero & irrito, qvi alioqvi omnipotens dici posset? Ergò ἀεὶ ἐπιθυμεῖ semper appetit esse, & cum nihil appetat, nisi qvod ratio jubet appetere, cumq; rationis judicium per Philos. falli non possit, si sit σοφία, si sit φρόνιμος judicium, ratio, sine dubio concludit, qvod voluntas appetit. Ergò ratio concludit fore ut semper vivat qvod νοῦν est, atqve in senectute qvoqve spe bona fruatur apparitura meliora. Neqve enim homo præcipuè vult se secundùm corpus esse, cum sit corruptibile qvid & mortale. Conf. *l. X. Nic. c. 7.* Egregiè hac de re Chrys. Javell. *p 126. Vir bonus maximè vult se ipsum esse, & vivere, & conservari in esse, & maximè qvoad partem intellectivam, cui inest sapientia: nam unumqvodqve appetit sibi bonum, sed adverte, ut dicit Arist. id qvod conservatur semper in eodem esse est DEUS: ipse enim semper est, qvod aliqvando est, qvia immutabilis est, & qvoniam habet in se omne bonum non potest velle bonum, qvod non habeat. Vir autem bonus & virtuosus similis est DEO maximè secundùm intellectum, qvi est incorruptibilis. Ideò vult principaliter se ipsum esse & vivere, id est operari secundùm intellectum, qvi semper manet, & ex hoc seqvitur, qvod volens se esse & vivere principaliter secundùm corpus transmutabile & corruptibile non verè vult se esse & vivere.* IV. Locum, qvem habes *l. X. Nic. c. 7.* adduco, qvem vix ulli compares: adeò expressivus est mentis Philosophi. ἐν ᾧ βίῳ (de contemplativo loqvitur) inqvit, ἂν εἴη κρείττων βίος, ἢ κατ' ἄνθρωπον. οὐ γὰρ ᾗ ἄνθρωπός ἐστιν οὕτω βιώσεται, ἀλλ' ᾗ θεῖόν τι ἐν αὑτῷ ὑπάρχει. ὅσῳ δὲ διαφέρει τοῦτο τοῦ συνθέτου, τοσούτῳ καὶ ἡ ἐνέργεια τῆς κατὰ τὴν ἄλλην ἀρετὴν. εἰ δὴ θεῖον ὁ νοῦς πρὸς τὸν ἄνθρωπον, καὶ ὁ κατὰ τοῦτον βίος, θείου πρὸς τὸν ἀνθρώπινον βίον. χρὴ δὲ οὐ κατὰ τοὺς παραινοῦντας ἀνθρώπινα φρονεῖν, ἄνθρωπον ὄντα, οὐδὲ θνητὰ τὸν θνητόν, ἀλλ' ἐφ' ὅσον ἐνδέχεται ἀπαθανατίζειν, καὶ πάντα ποιεῖν πρὸς τὸ ζῆν τὸ κράτιστον τῶν ἐν αὐτῷ. εἰ γὰρ τῷ ἄγκῳ μικρόν ἐστι, δυνάμει καὶ ὑπερέχει πολὺ μᾶλλον ὑπερέχει πάντων. δόξειε δ' ἂν καὶ ἕκαστον εἶναι τοῦτο,

ἐπερ

εἶπερ τὸ κύριον καὶ τὸ ἄμεινον. Insignis perspicuitate, illustribus q; & commodissimis dictis præter cætera locus, è qvo nunc nil nisi qvod ad præsentem rem reqviri videtur, eruere volo, pluribus fortè deinceps inservituro. Philos. duplicem βίον proponit, theoreticum unum, alterum practicum. hunc hominis, qvà est συνθετόν; illum, qvà νοῦν ἔχει, qvà θεῖόν habet, qvà Diis assimilari potest, appellat. interiturum unum θνητὸν esse, alterum divinum, incorruptibilem & immortalem pronunciat. Imò adversum tenentes refutat. Neqve enim vult hominem ea agere tantùm, qvæ sint θνητά; sed ea qvoqve, qvæ θνητὰ non sint. Non vult Philos. animum hominis duntaxat perfici qvod ea, qvæ nobis, dum velut in carcere sumus, agenda sunt, qvæ fiunt à nobis qvà id habemus, qvod cætera qvoqve animantia habent. Operationes enim vegetativæ, sensitivæ & motivæ homini conveniunt qvà animal est. Operationes verò appetitivæ ut homo est, sed non absolutè, verum in qvantum appetitus sensitivus in solo homine est rationalis; sed qvatenus ad ea qvoqve respicit, qvæ intelligibilia sunt, qvæ homini qvà νοῦν habet, qvà humanus non est, conveniunt. *Ita enim fiet, ut cum homo es, humanus non sis* ἄφθαρτος, ἄθάνατος. Rami fundamentum est è *lib. I. Nic. c. XI.* petitum, ubi Phil ita scribit: ἐὰν ὃ μὴ λέγομεν τὸν τεθνεῶτα εὐδαίμονα. μηδὲ Σόλων ἅπαξ βάλετω &c Misso qvod verba ἀποφηνικῶς sunt posita, dico Aristotelem ibi in eo esse, ut omnem suam disputationem in Solonem convertat, existimantem non posse hominem ante obitum dici beatum propter rerum humanarum mutabilitatem & variabilitatem; sed dici eum tùm posse beatum, cum erit extra omnem fortunæ pejoris statum constitutus. Qvorum vanitatem elusurus Philos unicè contendit nihil impedire, qvo minus is qvi verè felix, dicatur felix ante obitum, utut ὡς ἄνθρωπος fortunæ inconstantiæ & mutabilitati sit subjectus.

2. Observo Phil loqvi de felicitate non omni, sed practica; de ea qvam homo habet, non qvà νοῦν ἔχει, qvà θεός est, sed qvà συνθετόν; qvà tale qvid qvod corruptibilitati est obnoxium.

Conside-

Considerari verò à Philosopho hominem dupliciter secundùm βίον. scil. θεῖον & ἀνθρώπινον nimis certum est. Tantum itaqve abest, ut hoc caput pro Ramo qvicqvam faciat, ut potius ea, qvæ posuimus illustret. Sufficiunt fortasse hæc iis qvoqve, qvæ habet Fran. Piccol. *in Phil. mor. p. 821.* ubi, *post obitum*, inqvit, *ad mentem Arist. S. Bonum non perfici, sed tolli. aboleri enim in obitu scientiam, cum anima nihil sine phantasia agat, hominem, animam, & qvicqvid est hominis, solam remanere memoriam & aliqvot πνευματικὰ instrumenta:* Pro immortalitate, contra qvam alii è lib. 3. de an. disputant, vid. Themistium, Chrys. Javell. super *l. 3. de an. & comm. pract. p. 20.* Zwing. *vol. 5. l. 4. p. 1500.* Fortun. Lic. *l. 2. de piet. Arist. c. 14.* Nos has lites, qvà earum solutio è libris de anim. pateat, non sequimur. Concl. IV. Fortuna, si l. 2. MM. c. 8. & l. 7. ad Eud. c. 14. spectes, DEI providentiam è vitæ humanæ theatro non removet, sed ponit. Inqvirens enim ibi Philos. in causam τύχης propinqvam, è tribus, qvæ in disputationem videbantur venire posse, λόγῳ, φύσει, θεῷ, veram causam indigitaturus, νῦν μὲν δὴ, inqvit, καὶ λόγῳ, καὶ θείᾳ μοίρᾳ, παντελῶς ἀλλότριόν τι ἔοικεν εἶναι. ἀλλὰ μὴν εἴ γ' ἡ ἐπιμέλεια ἢ καὶ ἡ διάνοια παρὰ τὸ θεῖον, δόξειεν ἂν εἶναι τύχη, ἀφ' ἧς ἂν τοῖς φαύλοις ἐγγένοιτο. ἢ οὐ θεὸν τὸ φαύλων εἶναι ἐπιμελεῖσθαι. λοιπὸν πάντως καὶ οἰκειόταθον ἡ φύσις. & paulò post: ἔστιν ἄρ' ἡ τύχη ἄλογος φύσις. ὁ δὲ τύχης ἐστὶν ὁ ἄνθρ λόγον ἔχων ὁρμὴν ποιὸς τὰ ἀγαθὰ, καὶ τούτων ἀπατυγχάνων. Meminit qvidem Arist. τύχης, qvæ καθ' συμβεβηκὸς sine ὁρμῆ φύσεως ἐκ τῶν πραγμάτων τὴν μεταπλάσεως γίνεται. Sed hanc ab illà distingvit & secernit. Habes enim hîc causam, πραγμάτων μεταπλάσιν. De ea itaqve agit Philos. qvæ à φύσει ἀλόγῳ ὁρμὴν ἐχούσῃ oritur, qvæqve (conf. *Piccol. 743.*) est excitatio à proprio alicujus temperamento ad id agendum, ex qvo prodeunt fortunæ bona. Et hanc Philos. negat à DEO esse, cum sit à φύσει. Verum esse qvod Joh. Bern. Felicianus in *præf super mor. Arist.* monet, *à natura*, inqviens, *non solet recedere Arist. ut etiam qvæ supra naturam sunt, sicut etiam nonnulli Philosophiæ ejus Græci Interpretes asserunt, eo modo consi-*

deret, quo naturam respiciunt, quatenusq; in natura constituta sunt &c. non dubito. Causas itaqve propinqvas, non remotas, aut communes Philos. examinat. Eas enim hîc opponit, qvas alibi non opponit. Λόγον DEO opponit. Ergone λόγῳ à DEO non est? Enè λόγῳ τὸ μέλε τῷ θεῷ. Φύσιν DEO opponit. Ergonè DEUS φύσιν τὸ κινεῖ? Ergonè φύσεως θεῷ τὸ μέλε? Φαύλων τὸν ἀπιμελεῖται ὁ θεὸς. Ergòne Φαύλων πράξεις DEO ignotæ sunt? Ergòne dignis mala non tribuit? qvicqvid dixeris, habiturum me esse Philos. pro me confido. Φαύλων τὸν ἀπιμελεῖται, ἀπιμελείᾳ ἀνεπικῇ, παρεικῇ, actionibus hominum παρὰ φύσιν, παρὰ λόγον superveniente; ἀπιμελεῖται verò κριτικῇ. Dignis enim ἀπονέμει τὰ ἀγαθὰ, τὰ τὰ κακὰ, & hoc convenienter naturæ suæ facit. Ergò Ἀτυχία ad mentem Arist. definienda non est à DEO in oppositione ad φύσιν, immediatè, ut à causa proxima, neqve ab eo ut à Judice; est tamen ab eo, ut naturam non immutante, sed naturalia integra servante. Imò expressè Philos. DEUM abesse causæ omnis ejus rei qvæ φαύλῳ inest abstrahit, âq; DEI ἀπιμελείᾳ excludit, & tamen φαύλους puniri à DEO scribit. Evidentiùs a. ut appareat qvod dixi, animum advertite, & rem cognoscite, ut pernoscatis, ecqvid spei sit in Philos. reliqvum. Arist. l. 7. ad Eud. c. 14. mecum porto, ex qvo elicio 1. fortuna est, & habet suam causam. ἀνάγκη, scribit Phil. κατ' εἶναι, τὰ αἰτίαν εἶναι. Observat simùl hîc Philos. qvod valdè conducibile est ad nostram supellectilem, qvando scribit: ἡμεῖς ἄλλης τινὸς αἰτίας, λέγ τὸ μὴ ὀρθῶν, τύχην εἶναι φαμὲν αἰτίαν, ὡς τινὸς τινὸς φύσεως. 2. Fortuna est θεία, divina una, altera non item; illa DEUM habet causam; hæc aliud qvidpiam. Philos enim postqvam varie rem secum reputasset, & per dubia, qvemadmodum solet, cum ἀπορία sit ὁδὸς πρὸς εὐπορίαν sententias probasset φανεῖεν ἄν, inqvit, *(ne tibi putes fabulam narrari)* ὅτι δύο εἴδη ἀτυχίας, ἡ μὲν θεία. διὸ καὶ δοκεῖ ὁ ἀτυχὴς μᾶλλον θεὸν καθ' ἑαυτὸν *(secundùm illum DEUM, de qvo dixerat, esse in hoc universo, & totum universum in ipso)*

εἶναι

ἔστιν δ' ἔστιν ὁ κατ' αὐτὸν ὁρμὴν διορθωτικὸς. ὁ δ' ἕτερος ὁ παρὰ τὴν ὁρμήν. ἄλογοι δ' ἀμφότεροι. καὶ ἡ μὲν συνεχὴς ἀπειρία μᾶλλον, αὕτη δὲ τὸ συνεχές. DEUM verò illius ὁρμῆς, à qva fortunæ bona prodeunt, causam esse & principium ratione simul ostendit, qvæ est à non faciendo progressu in infinitum. *Omnia*, inqvit *Phil. à fortuna sunt, consultationis non est consultatio, & cogitationis cogitatio, & qvoddam est principium, extra qvod aliud nullum reperiatur.* οὕτως δὴ, ita Pergit Philos. ζητέμενον ἔστ' ἔστι. πῆς ἡ δὲ κινήσεως ἀρχὴ ἐν τῇ ψυχῇ. *Patet autem sic esse, qvemadmodum in universo est DEUS, & vicissim cuncta in illo. Moventur enim omnia ab inexistente nobis numine.* Ergò impellimur ad id ex qvo bonum prodit. Undè verò iste impulsus, illa ὁρμὴ, de qva Philos. inde, unde est scientia, unde ratio; ab eo qvo prius non est. *Rationis enim non est ratio, sed præstantius qvidpiam principium. Qvid autem scientia est præstantius, nisi DEUS? virtus enim organon est intellectus. Ἀρετὰς enim principium habent, qvod & intellectu & voluntate præstantius.*

§. 3. Sed redeo ad Sam. Mares. qvi specialiùs adhuc, qvam qvos hactenus adduxi (*adduxi suprà Mares. sed ut cum aliis ὁμοψήφ. generaliusq; loqventem*) felicitatis Aristotelicæ restringit amplitudinem, cæcoq; impetu in Philos. detonat. Qvod si enim *adeò obscurus est Arist.* ut vix à qvoqvam intelligi possit, qvod si ejus mens abstrusa est, latebrarumq; multitudine referta, ut certi qvid de Philos. spondere non possis (de Phil. obscuritate non invito Mares. scribit Alexander Neccam Augustinianus Monachus Anglus *lib. de nat. rerum, suo tempore creditum fuisse* (sed à qvo aut qvibus? ignorantem excusat obscuritas) *solum Antichristum genuinum Aristotelis sensum assequuturum, eumq; adhibiturum ad convictionem eorum, qvi secum in disputationis arenam sint descensuri.* Melch. Can. l. X. loc. c. 5. scribit: *Arist. vafrè verbisq; de industria ad imponendum compositis obscurè difficilia videtur enunciasse, ut si à doctis fortassè viris jure qvandoqve & verè reprehenderetur, haberet qvò posset elabi, atqve ab amicis excusari.* Nos suprà posuimus qvid de Arist. sentiat Ap. A. Conf. & qvi Philippus Apologiam adornaturus, proq; universa Luthe-

rana Ecclesia in prima acie cum hostibus concursurus certò diceret neminem de moribus scripsisse magis eruditè, qvàm Philos. ni ei lux ex Arist. affulsisset obscuritatum & caliginis dissipativa) neqve sperabit Maresius. Sin aliunde habet eum tàm esse obscurum, & aliunde habet ea omnia dogmata qvæ Philosopho tribuit, qvodq; nunc allaturi sumus, ciccum non interduim. p. 25. dissert. orat. 2. scribit *per Aristotelis doctrinam Machiavellismum, Atheismum &c. apud Italos altas radices egisse. Utinam,* inqvit Canus, *l. X. loc. approbante Mares. Alpes non superasset Arist. suoq; sydere nostros hodiernos Politicos nimium non afflasset, qvos inde Aristotelicos haud malè dixeris.* Sed Canus ibidem addit: *Si verum est, qvod dicitur, nihil enim præter auditum habeo.* En! Pergit Mares. *vixit vitam suis principiis convenientissimam, impietatis accusatus.* It. *Turpissimam Arist. hujus doctrinam, vita turpiori obsignatam, tandem fœda mors Judæ & Ahitophelis coronavit.* At rescisis, qvibus Philosophi vita multis insignium scelerum inqvinamentis & sordibus contaminata fuisse ex hinc & indè corrasis argumentis, qvorum veritas fortè usqve adeò non patet, colligitur, ad intentionem meam progredior. fuerit impius & nebulo maximus, sacrilegiorumq; patrator & hostis sacerdotum acerrimus, at fuit bonus Doctor de bonitate artis si qværas, cujus volumina ad futura Philosophorum tempora reservanda. Ea itaqve per Mares. finis Aristotelici amplitudo est, qvæ à Machiavello vertiginoso & pernicioßissimo apolitico politico, qvi nihil minus qvàm Politicus dici debet per Phil. I. 1. ad Eud. c. 5. posita esse creditur. Ita verò Nic. Machiav. Florent. *in tract. de bono princ. c. XV.* scribit: *qvi se virum bonum omnibus partibus profiteri studet, cum certè inter tot non bonos periclitari necesse est. Necessarium itaqve est principi, ut perceptum habeat, si se salvum velit, qva ratione possit esse non bonus, idq; pro necessitate in suum convertat, vel non convertat usum. Necessarium est uti ea prudentia, qva eorum vitiorum fugiat infamiam, qvibus illi imperium adimi posset. Nec multum sanè laboret, si in eorum vitiorum infamiam incurrat, sine qvibus dominatum non facilè tueri posset.* Maxima itaqve Machiavelli hæc est: Princeps debet suum principatum obtinere qvibuscunqve id mediis fiat:

per

per castitatem an per libidinem; per impietatem an pietatem id fiat, principi laborandum non est. Summum ergò ad qvod homini, Principi prælertim contendendum est bonum, per Mach. est salus, & exterior prosperitatis affluentia cum perpetuo & non interrupto principatu & dominatu; reliqva verò arripienda sunt ut media. At cum media sint propter finem, id verò nobilius per Philos. propter qvod est aliud, nobilissimum certè & felicissimum per Mach. erit bonum qvod diximus. Et hoc Philosopho affingit Maresius. Ut verò videas falsum esse, qvod asserit Maresius seqvar ordinem qvem observat Ant. Possevinus *in judic. de Mach. scriptis*, ut Philosophum non tantum ab hoc sed ab aliis qvoqve qvæ Mach. habet, dogmatibus immunem esse liqvidiùs perspicias. *An verò*, ita incipit Possev. *potest consilium dari pestilentius, qvam qvum principi suadet, ut spreto alieno consilio suæ ipsius prudentiæ innitatur?* Non malè, si Princeps divinus est, si heros est, si creditur specialiùs à DEO missus; malè verò si talis non est, neqve ejus prudentia tanta qvæ sola gentibus justas leges & sententias ferendi, cæteraq; qvæ ad bellicam dispositionem pertinent constituendi sufficiat. Neqve verò Philos. sic evehit Principem, ut illum non heroa existentem omni Consiliariorum subsidio eximat. *l. 3. Nicom. c. 5.* συμβέλας ἦ, inqvit, περιλαμβάνομεν εἰς τὰ μεγάλα, ἄπιστον ἡμῖν αὐτοῖς, ὡς ἐχ' ἱκανῶς μεμαγνῶναι. Chrys Jav. ad h. l. *unde judices in dubiis magnis qværunt sibi coassistentes.* Ergò qvò qvid magis magnum, eò plures coassistentes reqviri certum est. Imò βασιλέων circa finem cap. meminit Arist. Mach. *Pietatem & religionem, qvam etiam non habeat, præ se ferat.* Arist. l. 3. Nicom. c. 4. προαίρεσις οἰκειότατον εἶναι δοκεῖ τῇ ἀρετῇ, καὶ μᾶλλον τὸ ἦθος κρίνειν τῶν πράξεων. Ergò sine electione & interiori animi harmonica constitutione & dispositione nemo σπουδαῖος. Qvid hîc de hypocritis probitatem mentientibus Philos. sentiat, liqvet. l. 7. Nic. c. 1. ad bonitatem moralem de mente Arist. reqviruntur *ratio practica, electio, rectitudo utriusqve, operatio utriusqve rectitudini* conformis. Ex carentia enim rationis & electionis habes bestialitatem; è carentia rectæ rationis & electionis malitiam; ex ca-

rentia operationis rationi & electioni conformis habes in continentiam. Qvicqvid autem à bono viro reqviris, id à Principe vel maximè reqviri videas à Philos. ut per ipsum stet immota hæc propositio: omnis Princeps debet esse vir bonus. Est enim civis & vel maximè civis. At in Rep. optima omnis civis bonus est vir bonus l. 3. Pol. c 18. l. 7 pol. c. 14. Et si vis, non alius per Arist. admitti debet, qvàm bonus, imò non nisi excellenter bonus, heros & velut supra communem bonorum sortem positus. l. 3. pol. c. 13. λείπεται δίνον, inqvit Philos. ὅπερ ἔοικε πεφυκέναι, πείθεσθαι τῷ διάτῳ (διαφέροντι κατ' ἀρετὴν) πάντας ἀσμένως, ὥστε βασιλέας εἶναι τοὺς πιάτους αἰδίους ἐν τῇ πόλεσιν. Perpetuum ergò Regem oportet esse διαφέροντα κατ' ἀρετὴν, qvi virtute alios præstet, inter qvem & cæteros cives tanta sit distantia, qvanta est inter hominem sua ope nitentem, & hominem ope specialiori, divina adjutum. l. 3. polit. c. 15. ἐὰ δὴ, scribit porrò Phil. τὸν μὲν τῶν πολιτῶν ἀρχὸν, ἀγαθῶν δ' ἀνδρῶν πάντων ἀριστοκρατίαν ἢ τὸν ἑνὸς βασιλείαν. (αἱρετώτερον ἂν εἴη τῇ πόλεσιν ἀριστοκρατία βασιλείας, καὶ μὴ δυνάμεως, ἢ χωρὶς δυνάμεως ἅπας τὴν ἀρχὴν, ἂν ἢ λαβεῖν πολίτας ὁμοίους, si licuerit nanciscì plures similes; ἢ διὰ ταῦτ' ἴσως ἐβασιλεύοντο πρότερον, ὅτι σπάνιον ἦν εὑρεῖν ἄνδρας πολὺ διαφέροντας καὶ' ἀρετὴν &c. Præterea ob beneficia accepta reges crearunt, ὅπερ ἐστὶν ἔργον ἀγαθῶν ἀνδρῶν. ὅθεν ἢ συνέβαινε γίγνεσθαι πολλὰς δικαίας πρὸς ἀρετὴν, οὐκ ἐπ' ἰσότιμον, ἀλλ' ἐξίστων κοινόν, ἢ πολίτειαν κατίστασαν. E qvibus fine dubio ad mentem Philos. dicere licebit, neminem esse in regum electione ad fastigium regiæ majestatis provehendum, qvi non sit καὶ' ἀρετὴν πολὺ διαφέρων. *Metu verò amissionis regni, aut principatus, posse principem qvidvis patrare* Philos. nullibi docet, sed contrarium haud obscurè asserit, cum dicit Principem bonum habiturum esse θεὸς συμμάχους. Accedit & hoc, qvod, si vir bonus, qvia bonus DEO est φιλέστατος, ejusqj θεῷ μέλει, etiam Princeps bonus sine dubio DEO est φιλέστατος & qvò magis ei assimila-

assimilatur, magis est φίλος, cujus bona DEUS curet tanqvam amicissimi amici bona. Mach. *Si qvid in religione falsum sit, comprobet, aut firmet, dum id prosit fovendæ qvalicunqve religioni.* Arist. DEUM vult κατὰ δύναμιν coli l. VIII. Nic. c. 16. & l. 3. Nic. c. 1. scribit, ἔνια δ' ἴσως οὐκ ἔστιν ἀναγκαστὰ ὑπάρχειν, ἀλλὰ μᾶλλον ὑπὸ θνητίου, παρόντα τὰ δεινότατα. Dixerat enim de iis qvæ hominem ἐπιεικῆ. Levioribus videtur à Philos. venia dari, gravioribus verò neqvaqvam. Nihil itaqve hactenus pro Machiavello. Mach. *Doctores Christianæ religionis nihili faciat princeps.* Arist. hos ut non novit, ita nec judicavit, judicaturus certè commodissimè, si suos Præceptores & Magistros cognovisset, qvippe qvibus per ipsum præmium ἀπόρρητον non referas. l. X. Nic. c ult. Mach. *Fortunæ & casui felicitatem, non virtuti & religioni veræ tribuat.* Arist. qvæ sit distinctio inter εὐτυχίαν & εὐδαιμονίαν è superioribus notum est. Felicitatem ἐφ' ἡμῖν esse, εὐτυχίαν à DEO esse, felicitatis potissimam partem in religione consistere fatetur Philos. Mach. *Belli justitiam in ea qvam qvisqve putat sibi esse necessitatem statuit.* Arist. qvæ sit de bello sententia vid. l. 7. polit. c. 2. Pro Machiavello qvidem Phil. aliqvid facere videtur l. 7. polit. c. 5.; Sed ibi non de Principe bono, recta politia, debitoq; servandi Remp. modo agit, verum de Tyranno, pessimæ Reip. constitutore pessimo, & modis qvibus illa servetur, non qvibus servari tutò possit, ac debeat.

§. 4. Venio nunc ad eos, qvi mitiora & tolerabiliora pro Phil. nostro loqvuntur. Sunt autem hi in duplici differentia, aliis dicentibus Philosophum nil nisi honestatem, qvæ consistit in iis actionibus, qvæ fiunt ab homine, si hunc qvà est aut cum seipso, aut qvà est cum alio, non verò qvà est cum DEO, aut cum ipso esse debet, intuearis, intendisse; aliis verò laxius spatium concedentibus & felicitatem eam omnem, qvam ope humana acqviras, qvamq; natura duce & præeunte lumine naturali in hac vita sibi mortales comparent, Philosopho tribuentibus, ejusq; beatitudinis intentionem, qvæ in hac

vita

vita ab eo, qvi ducem dictum sequitur, acqviri qveat. Harum sententiarum propugnatores operosiùs non recensebo, sed duos adducam, qvi mihi fortè occurrerunt, è qvibus de cæteris ὁμοψήφοις judicium patebit. Ant. Walæus Prof. Leyd. *in comp. Eth. Arist. p. 263.* scribit: *Arist. in hac vita qvarendum esse S. Bonum homini, & non tùm demum, cum è vita decesserit. Alij illum excusant, qvod hîc contra Solonem agat de felicitate civili, qvæ in civitate acqviri debet, vel nusqvam &c. Sed hæc excusatio nullius momenti est, qvia Arist. agit de S. Bono hominis qvatenus est homo, atqve omnes animantes cæteras superat, & felicitatis est capax.* p. 266. *rursum defectus est, qvod extrema hominum perfectio in hisce virtutum actionibus statuatur, qvum hæc conformitas, qvæ in hac vita postulatur sit via tantùm seu medium ad felicitatem futuram & æternam. Nec verò virtus illa propter se expetenda est, ut non etiam expetatur propter aliud & qvidem majus bonum; nempe ut per ea DEUS colatur, proximus juvetur, & via sternatur ad felicitatem æternam.* Ib. *Plato virtutes purgatrices præcipuas statuit religionem & pietatem in DEUM, qvam Arist. hîc planè præterivit.* Joh. Th. Freigius. *in præf. qvam qvæst. œcon. & polit. præfixit,* ita scribit: *Arist. una in re Platone inferior, qvod DEI in sua Rep. DEI inqvam oblitus, magis Philosophicè* (fortè in disp. post. harmonicum inter Platonem & Aristotelem, qvod pietatem & religionem attinet, consensum instituturus sum) qvàm θεοδώς *omnia tractavit.* Ib. *Plato Mosen sequutus &c. Arist. DEI prorsus, Philosophiæ non omninò oblitus est.* & l. 5 Eth. qvæst. p. 258. *Aristotelica,* inqvit, *definitio justitiæ collocat hominem in civitate & societate communi, & simpliciter considerat, qvi sit ordo homini ad alios. Sed ejus definitio fuisset illustrior, si DEI qvoqve mentionem fecisset, ut agnoscamus qvalis sit ipse DEUS, & qvibus officiis velit coli.* Maxima per hos hæc est: Arist. à DEO sua mente aversus inqvisivit in illud bonum, qvod ex conjunctione hominis cum aliis homo sua ope acqvirere possit, extinctumq; in eo fuisse omnem Theologicam beatitudinem exponendi animum. Fundamenta si qværas, pauca videas, lubrica, levia, & nullo negotio solubilia. Cap. XI. L. 1. Nic. sensum genuinum exhibuimus, ut mirum videatur, qvare Walæus putet excusationem

nem eorum qvi pro re nostra faciunt, esse nullam. Aut enim ibi de omni hominis, aut de aliqva felicitate agit Philos. illud si dicis, falsum dicis. εὐδαιμονίαν enim & μακαριότητα distingvit Arist. l. 1. Nic. c. XI. ἀνθρώπου & μακάριον differre dicit l. 7. polit. c. 13. l. 1. œcon. c. 5. Chrys. Jav. ad *l. 1. Nic. c. XI. distingvit inter felicem, & optimè felicem.* 2. Felicitatem theoreticam à practica separat alibi. Si posterius dicis, nihil Walæus obtinet. Et nos, qvi Christiani sumus aliqvam in terris ponimus beatitudinem, non tamen omnem. eamq; beatitudinem considerari, qvatenus homo animantes cæteras superat, & solus felicitatis capax est, qvis neget? an verò propterea nulla illa aut potior au præter istam æqvè bona statuitur, âq; Christianorum cœtu asseritur? Hanc vitam Philosophum corrigere voluisse non nego, sed futuram propterea negâsse falsum est. Modestior est Javell. *de felicitate*, inqviens, *& suo opposito, qvæ pro hâc vitæ acqviri potest, semper loqvitur Arist. in totâ suâ scientia morali. De felicitate alterius vitæ non loqvitur affirmativè, nec negativè. Religionem & pietatem in DEUM Arist. planè præteriisse* impudenter asseritur. Pro amissis Phil. libris, plura fortassis, qvàm annotata legimus in iis, qvæ nunc extant & communiter recepta sunt, voluminibus docentibus disputat Kyriacus Stroza in præf. super l. IX. & X. polit. & disputari fortè potest pro 14. libris de sapientia Ægypti Aristoteli vindicandis, ex iis qvæ habet Joh. Carpentarius in præt. ad dictum opus. Auctoritati verò negatæ (ad hominem) à qva sola præsidium posse peti videtur, oppono auctoritatem affirmativam in disp. post. Et notamus qvæ habet Walæus ad defin. S. Boni: *Hæc*, inqvit, *sententia Arist. si secundùm mentem ejus sumatur, valdè imperfecta est. Sin verò mens ejus corrigatur, & verba sumantur in eum sensum, qvem ferre possunt, tùm sententia hæc cum veritate conciliari potest.* Magnum adversus Walæum, cæterosq; cum ipso sentientes, discedendi motivum. *Si verba possunt*, qvod Arist. menti alienum fuisse Walæus auguratur, unde mens illa Walæo nota! neqve enim hîc sufficit distinctio inter voluntatem occultam & revelatam. Sin arbitratur viribus Aristotelicis imparem fore finem, cum ipso assero: Sed qvid hoc ad

intentionis Arist. amplitudinem subvertendam? potest aliqvis per Philos. velle ἀδυνάτα. Potest aliqvis scopum vitæ suæ proponere, qvem putet his aut illis mediis acqvisitum dari, cum falsò putat. Certè justitiam coram DEO consistentem olim Judæi, & hodiè Pontificii, & Photiniani desiderant, & se consequi posse existimant, cum tamen neqve tunc, neqve nunc, neqve in omnia secula suis mediis assequturi sint, ad qvod collimant bonum. Ad Freig. insuper dico 1. fac Arist. in defin. justitiæ nihil de DEO dixisse, dixit tamen aliqvid in definienda mansvetudine, dixit tamen in lib. de virt. & vit. ubi expresè Philos. ἔστι δὴ πρώτη τῶν δικαιοσυνῶν πρὸς τοὺς θεοὺς, δευτέρα πρὸς ἀνθρώπους. Videas hinc qva fronte dici qveat Arist. in defin. Justitiæ simpliciter considerare, qvi sit ordo homini ad alios, DEIq; oblitum esse. Qvod si Arist. societatem & communitatem sumis, qvemadmodum sumi necesse est, dices sub societate politica omnem societatem contineri, etiam illam, qvâ homo cum homine sacrificia DEO offert, eumq; τῷ θεῷμεν honorat, conf. l. VIII. Nic. c. 9. al. XI. nihil qvicqvam obtinebunt hi cum qvibus ago. 2. Legalem justitiam, à qva tùm denominari justus poteris, si τῶν νόμιμον feceris, sub qvo sacrificia, DEIq; cultum reliqvum Philosophum complecti certum est è l. V. Nic. c. 10. justitiam & virtutem universam facit. Ibi enim δικαιοσύνη universalem, scribit esse τοῦ πρὸς ἄλλον ἕξεσιν πραγμένην τὴν ὅλης ἕξεως χρῆσιν πρὸς τὸν ἄλλον. Efficiens verò τὴν ὅλης ἕξεως dicit esse τὸ νόμιμα ὅσα γεγονότα τῇ πολιτικῇ κοινωνίᾳ πρὸς κοινόν. Et qvid vetat sub generalibus illis mediis, qvibus per Phil. fias ἀγαθοί l. 1. ad Eud. c. 1. l. 7. pol. c. 15. φυσει, μαθήσει seu λόγῳ, & ἐθισμῷ cultum qvoqve DEI & pietatem (abstractè loqvor) comprehendi. Natura facit habilem, Sacerdos docet, tu assvesce virtuti, jugumq; superiorum, qvorum ratio persvasiva est efficax, qviqve te sunt φρονιμώτεροι, admitte.

§. 5. Tandem ad eos venio, qvi moderatiùs Philosophum tractare videri volunt, qvamvis si rem spectes, vix qvicqvam interduim,

duim. Sunt autem ii, qvorum opinio in Scholis hactenus invaluisse, multumq; incrementorum acqvisiviſſe videtur, neqve parùm auditorum animos ſuſpenſos dubiosq; tenet, dum miſeri ſibi perſvadent, debere ſe, ſi velint Ariſt. cum Chriſtianorum felicitate conciliare, diſtingvere inter felicitatem civilem & theologicam, & ſic inveniſſe, non qvod pueri in faba, omniq; ſcrupulo penitùs eſſe exemtos. E duobus iterum ὁμοψήφους judicari poſſe puto. Ita verò ſcribit L. Th. W. *in qvæſt. ad Eth. Ariſt. defenſionem pertinentibus qvæſt. 2. peſſimam itaqve B. Luth. Ethicam Ariſtotelicam gratiæ inimicam eſſe, Chriſtianisq; adverſari virtutibus aſſerit, non qvatenus per ſe, & prout intra limites atqve cancellos ſuos manet, conſideratur, ſed qvatenus à Scholaſticis Doctoribus & Theologis cum Theologia confunditur.* Idem *qvæſt. 4.* oſtenſurus Ariſtotelis de felicitate ſententiam doctrinæ catholicæ non repugnare, poſtqvam varia pro Luthero poſuiſſet, tandem ita concludit: *non ἐναντιότητα repugnantiam, & contrarietatem proprie ſic dictam, ſed ἑτερότητα diverſitatem tantùm illa arguunt doctrinæ utriusqve, qvæ ſalva manente utraqve tutò conſiſtere poteſt. Latet namqve homonymia in voce felicitatis. Sumitur enim hæc dupliciter, vel pro felicitate cœleſti ac divina; vel pro felicitate civili & humana. Qvæ itaqve doctrina catholica de felicitate tradit, accipienda ſunt de felicitate cœleſti ac divina: qvæ verò de eadem habet doctrina Ariſtotelica, de civili atqve humana felicitate ſunt intelligenda, qvemadmodum ex lib. I. Eth. c. 13. eſt manifeſtum, in qvo inqvit Ariſt.* καὶ γὰρ τὸ ἀγαθὸν ἀνθρώπινον ἐζητοῦμεν, καὶ τὴν εὐδαιμονίαν ἀνθρωπίνην, *etenim de bono hominis qværebamus, deq; humana felicitate.* Qvæſt. 3. *ex Ethica*, inqvit, *maximè verò Ariſtotelica deprehendimus qvousqve mens humana poſt lapſum abſqve renovatione Spiritus S. progrediatur in notitia virtutum ac beatitudinis, & qvò actiones ſuas referat.* Ex toto diſcurſu liqvet Philoſophiam practicam Ariſtotelis ab aſſumentis Scholaſticorum, tenebrisq; qvibus hi eam obſcurarunt, repurgatam, ſi conſideretur prout in voluminibus qvæ Philoſ. ſcripſit, jacet, felicitati Theologicæ & catholicæ non repugnare, cum ſit ἑπίγειον, humanum, non verò divinum bonum, politicum & civile, non Theologicum, conſiſtens in honeſtate,

qva ea agas, qvæ in exteriori hominum conversatione, dum homo est cum homine, commendantur, qvæ justa & proba sunt, si sis coram humano judicio, non coram divino, coram homine, non coram DEO; coram eo qvi solo naturæ lumine in determinandis individuis actibus judicat: qvales sunt Philosophi in Christiana Republ intra suos cancellos constituti, qvi ex suis principiis, minore in faciendo syllogismo practico rationis progenie existente, honestum ab inhonesto discernunt, qvales fuerint Politici in Rebusp. gentium benè constitutis, atqve ad normam rectæ rationis in hominibus residuæ conformatis. C. H. seqvuturus Arist. velut cynosuram, per totam suam Philos. moralem non alius qvam felicitatis civilis *(rerum civilium & rationi subjectarum* p. 153. *perficientium hominem non in ordine ad futuram vitam* p. 552. *solam legem naturæ & humanam exprimentium & seqventium* p. 587. *vel ipsorum principiorum practicorum, vel eorum qvæ per bonam consequentiam (citra revelationem* p. 136. *eruuntur* p. 137.) meminit, & l. 1. c. 2. p. 16. rem sic auspicatur: *Universam Philos. practicam tàm eam, qvæ de moribus tractat, qvàm qvæ de civitate, ideò inventam esse, & ideò addisci, ut vitam hanc ejus beneficio rectè, & qvantum natura duce fieri in ista imbecillitate nostra potest, feliciter transigamus apud omnes in confesso est.* l. 2. c. 2. p. 145. *Philosophia practica, qvanta qvanta est nihil est aliud, qvàm habitus & facultas juxta rectam rationem, & naturale illud lumen* (est, qvod præcisè ab humano intellectu pendet) *judicandi & statuendi de iis qvæ ad vitam hanc honestè, justè & prudenter instituendam pertinent.* Maxima, ut vides, horum Philos. hæc est: finis agendorum ab Arist. in practicis intentus est naturam naturantem in natura nostra suum velle effigiantem determinatricem seqvi exclusa revelatione & superiori luce, eaq; facere, qvæ honesta, justa & proba sunt; non tamen efficiunt, ut si ea feceris aut habueris cum DEO velut amicus DEI esse & vivere possis. Fundamenta, apud ipsos vidi ut subvertam, & me paucis expediam. Dico 1. frustrà dici *universam Phil. practicam ideò esse inventam, ut hanc vitam feliciter transigas ad normam luminis naturalis singulares actus determinantis.* Sive enim ad Patriarchas eas, sive

sive ad gentilium Philosophos maximos, Platonem & Arist. Stoicos; te conferas de ratione Philosophiæ cogniturus, apparebit contrarium. Ad qvævis enim agibilia exhibentia DEO omnem obedientiam, hominemq; DEO φιλέσεβον, & gratia perpetua non indignum facientia philosophiam practicam, ut nihil de theoreticæ celsitudine dicam, respicere non dubito, si mentem Philosophorum examino, atqve in intentionem paulò accuratiùs inqviro. Insolubilem enim conjunctionem inter Philosophum, pissimumq; DEI amicum, & hominem in integritate olim connata, nunc verò per lapsum amissa constitutum astruo, & affirmo Philos. practicam ideò esse inventam, ut pro qvovis revelationis mediorum ad optimum esse hominis facientium modo sis dispositus, eiq; satisfacias. 2. Nego *ideò addisci*, si de jure non de facto disputo. Non eqvidem inficias iverim hodiè postqvam lux Evangelii cæcitatem gentium detexit, in Scholis ideò addisci, ut benè vivas, honestè & justè & prudenter vitam tuam instituas (de εὐσεβείᾳ enim silentium) neqve negaverim posse disciplinarum & lectionum Academicarum hunc ordinem constitui, ut sint nonnulli, qvi nobis ostendant, qvousqve lumen naturæ post lapsum penetrare qveat; Sed Philos. practicam debere unicè propter illum finem, qvem Philosophi in Christ. Rebusp. constituti intendunt, & auditorum animis degustandum proponunt addisci, & sic Philosopho satisfieri velut ὁμοψήφῳ & ἐπεσύλλ à felicitate Theolog. non ἐναντίον, non ἴσον in practicis aperienti, neqvaqvam assero. Omninò enim distingvi oportet inter id qvod fit, & qvod fieri debet, & hoc non absolutè, sed ex hypothesi, si velis Philosophum sequi. 3. Λόγῳ qvem te ducem seqvi vult Philosophus, revelationem non excludit, neqve totalem & præcisam ab humano intellectu dependentiam infert. Liqvet qvod posui ex Arist. generatim l. X. Nic c. 8. *Intellectus humanus*, inqvit, *divino par non est, sed ejus velut ὁμοίωμα & umbram refert*, estq; DEUS heroum heros, eorumq;, qvi propter superabundantem prudentiam in nulla Rep. subjicibiles sunt, Pater & Rex. Audiendus itaqve φρονίμων

φρονιμώτατος sine ulla exceptione, sine ulla instantia, si vel maximè nobis existentibus pueris, vixq; bimulis aut trimulis (de ingenti illa distantia, qvæ est inter hominem & DEUM v. plur. l. VIII Nic. c. 7. l. 2. M. M. c. 16.) tale qvid proponat, qvod ratio capere non possit. l. VI. Nic. c. 2. DEI omnipotentia prædicatur. Alibi DEI erga hominem habitudo patria, justissima æqvissimaq;. E qvibus omnibus sine dubio inferre licet: Si DEUS est φρονίμων φρονιμώτατος heroumq; heros &c. Si omnia potest, si Pater est, cui omni tua obedientia omne posse tuum, omne velle tuum ad nutum ejus planissimè, plenissimèq; conformando ἰσόρροπον exhibere non possis, semper & ubiqve audiendus est submississimè promptissimèq;; Si unqvam verum fuit, qvod senex ille apud Poëtam habet: *Ætate*, inqviens, *me putavit & sapientia plus scire, & providere, qvàm se ipsum sibi*, certè hîc verissimum esse qvis non videat! Ergò per Arist. debet aliqvando credi qvod homo non capit, debet fieri agive, qvod ratio citra revelationem nunqvam fuerit determinatura. Adprimè Renatus des Cartes princ. phil. part. pr. p. 9. §. 25. postqvam è creaturis ad infinitam DEI potentiam ascendisset: *Ita*, inqvit, *si forte nobis DEUS de se ipso vel aliis aliqvid revelet, qvod naturales imperij nostri vires excedat, qvalia jam sunt mysteria incarnationis & Trinitatis, non recusabimus illa credere, qvamvis non clare intelligamus; nec ullo modo mirabimur multa esse, tùm in immensa ejus natura, tùm etiam in rebus ab eo creatis, qvæ captum nostrum excedant.* Admisisse Philosophum aliqvam revelationem ad speciem descendendo nondum dico, sed non repugnare per ea qvæ modo dicta, à DEO aliqvid mandari dicive, qvod credendum faciendumq; sit, qvamvis ratio non capiat, qvare aut qvam ob causam fieri debeat, assero, & verum non esse, qvod dici solet, Philosophos præcisè ab intellectu humano pependisse. Speciatim comprobare videtur qvod posui, sacrificiorum ritus, qvem Philosophus passim celebrat. Si dicas Philosopho fuisse naturale, si opinionem ejus spectes, qvod nobis naturale non est, nondum vicisti. Dico enim 1. etiam λόγος Arist. fuit λόγος non partialiter erudiens qvæ facienda & omittenda sunt, sed sufficienter & totaliter

totaliter, qvo pacto DEO fieri possis φιλόσοφος. 2. Unde scis qvod dicis, cum omninò credibile esse censeam Ecclesiæ fama plura ad Philosophum esse perlata, qvorum haud obscura vestigia in practicis reperias. 3. Capra DEO erat offerenda l. 5. Nic. c. 10. svadente lege non φυσικῇ sed νομικῇ improba statuta exterminante, φεύγησι τὸν ἀλόγῳ in populum jura sanciente, & similitudinem inter Capram & DEUM non perspiciente. Rationem & fundamentum nullum fuisse aliud existimo qvàm Jovis beneplacitum. Qvod si cum iis qvæ dixi oraculorum olim celebratam majestatem (diabolica an divina fuerint responsa non disputo. Sufficiat Philosophum non improbasse v. l. 2. œcon. c. ult.) conjunxeris habiturum me esse qvod contendo non diffido. Et fac Philos. omnia ad λόγον velut cynosuram, regulamq; unicam appendisse, âq; suo intellectu in determinandis agendis unicè pependisse, neqve qvicqvam qvod supra captum fuerit assumsisse, & omnem revelationem superiorem à revelatione naturali distinctam repudiasse tanqvam solum sibi sufficientem & cum DEO parem, qvemadmodum Stoici apud Lipsium in manud. ad Phil. Stoic. deliraſſe dicuntur, qvod tamen falsissimum est, qvid hoc pro restringendo fine Aristotelico ad vitam hanc, qvà est honestè, justè & probè, non verò εὐσεβῶς DEIq: voluntati per omnia conformiter congruenterq; instituenda! possibile utiqve est, ut ipsissimam felicitatem Theologicam & futura gaudia desideres, & tamen solis naturæ tuæ viribus, soloq; naturæ lumine præeunte extincta omni superiori, supraq; naturam posita revelatione eam te assequi putes. S. Boni definitio à Philos. facta huic restrictioni assensum non spondet. Evincunt hoc ii, qvi finem agendorum ἐνέργειαν ψυχῆς λογικῆς &c. ponunt, & nihilominus medium ad hunc finem vel maximè faciens veram pietatem, verumq; DEI cultum constituunt. Ut nihil dicam qvàm benè C. H. naturam excoluerit, & præscripserit modum benè vivendi, qvà natura dux est. Ubi enim de DEI cultu, pietate & religione agit? Certè hac in parte eum Philosophum velut cynosuram esse sequtum non video, cum si vel maximè solam naturam ducem sequi velim, non mihi sufficiat dicere principium naturale esse, DEUM esse colendum, sed simul addi debeat, qvomodo cultus DEI instituendus sit, & in qvo consistat,

consistat: qvemadmodum non sufficit dicere, debere te justum esse erga proximum, sed addi debet, qvo pacto id fieri possit, & in qvo aut qvibus justitia consistit. Qvamvis enim natura duce non habere possim qvi debeat DEUS coli, si de sufficienti cultu loqvor, habeo tamen aliqvid; time DEUM, ama DEUM, fide DEO, à DEO bona expecta &c. *(ne qvis mihi hic Zoilus pessimam & pestilentissimam Pelagianorum opinionem tribuat, sciat mihi curæ cordiq; esse, qvod habet Ap. Aug. Conf. de libert. arb. p. 219.)* DEO non maledicas, ejusq; nomen in vanum ne assumito, & diem qvo DEUM colas constituito. Ubi verò H. de Sabbatho, de amore DEI, de timore DEI? Neqve inter qvas aut qvam virtutem, si definitionis sensum, qvem ille justitiæ & amicitiæ falsò tribuit cultum DEI referre debeam perspicio. Justitiam ad hominem restringit, amicitiam inter DEUM & hominem nullam esse dicit propter distantiam qvæ sit inter DEUM & hominem, maximam. Philosophus qvidem l. VIII. Nic. c. 7 suffragari videtur; Sed id non est, cum de amicitia, cujus actus sunt convivere, colloqvi delectabiliter, secreta communicare loqvatur. Conf. Chrys. Javell. ad h. l. Neqve etiam se habet homo DEO serviens ad DEUM, qvemadmodum vilissimi verberones ad regem. DEUM sapientis esse φίλον & amicum supra vidimus. At ubi φίλῳ ibi φιλία si non ignoras qvid sibi velit terminus concretus & abstractus ἐπὶ μᾶλλον, inqvit Philos. l. VIII. Nic. c. 14. πρὸς γονεῖς φιλία τέκνοις, καὶ ἀνθρώπις πρὸς θεὸς, ὡς πρὸς ἀγαθὸν καὶ ὑπερέχον &c. Restat ut de iis locis agamus, in qvibus Philos. distinctionem inter ἀνθρώπινον & divinum bonum ad mentem conciliantium Philosophorum suggerere falsò creditur. *L. 1. Nic. c. 6.* ἀλλ' ἴσως, inqvit Phil. τῷ μᾶλλον εὐδαιμονίαν τὸ ἄριστον λέγειν ὁμολογουμένον φαίνεται. Τάχα δὴ γένοιτ' ἂν τοῦτο, εἰ ληφθείη τὸ ἔργον τοῦ ἀνθρώπου &c. L. 1. Nic. c 13. εἰ δὴ τὸ πολιτικὸν ἐστιν ἡ σκέψις αὕτη, δῆλον ὅτι γλωττ' ἂν ἡ ζήτησις κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς προαίρεσιν. πᾶσι δὴ ἀρετῆς ἐπισκεπτέον, ἀνθρωπίνης δηλονότι. καὶ γὰρ τὸ ἀγαθὸν ἀνθρώπινον ἐζητοῦμεν, καὶ τὴν εὐδαιμονίαν ἀνθρωπίνην.

πάντων. L.V. Nic. c. 13. Τῖς μὲν οὖν ἔστι ὑπερβολὴ αὐτῶν (τ ἁπλῶς ἀγαθῶν) οἷον ἴσως τῖς θεοῖς. Τῖς δ' ἀδὲν μόριον ὠφέλιμον τῖς ἀνιάτοις καὶ κακοῖς, ἀλλὰ πάντα βλάπτει. Τῖς ἢ μέχρι τοῦ. Δηλ. ἔστ' ἀνθρωπινόν ἐστι. Audias hîc Philosophum velle bonum ἀνθρώπινον, idq; ut finem suarum actionum in omnibus agendis præfigere, ad qvem omnis homo collimet. Sed qvid inde? per nullam consequentiam, qvam qvidem optimorum Logicorum regulæ præscribunt, elici posse maximam supra positam persvasum habeo. Felicitas Aristotelica est bonum ἀνθρώπινον, ἔργον ἀνθρώπου, opus hominis. Ergò Theologicum bonum non est, E. civili bono, qvod honestatem sine εὐσεβείᾳ & respectu ad DEUM gratiosum, ejusq; favorem conciliandm, non sublimius aut divinius. Certè Apostolica fuerunt dona Act. 2. Dona ministrantia, Ministrorum Ecclesiam erudientium. Apostolorum itaq; & ministrorum bona dici posse qvid prohibet? sint licet divina, & supra communem hominum sortem à DEO effusa. ἔργον ἀνθρώπου fuerat exhibitio omnis DEO debitæ obedientiæ Adamitica, si perstitisset homo in integritate, an verò politico bono non excelsius ἔργον & excellentius? Sapientis bonum est felicitas Theoretica, & tamen à Phil. l. X. Nic. c. 7. & 8. dicitur bonum θεῖον in oppositione ad bonum hominis, qvâ hic est σωφρονική. Non itaqve impedit bonum θεῖον dici humanum & vice versa. Præterea si ex eo, qvod humanum dicitur, velis illud bonum naturæ viribus tribuere, vel dicere non esse, nisi qvod solis humanæ naturæ viribus obtineri acqvirive potest, æqvè dicam esse tale bonum, qvod non nisi viribus divinis adscribi, & sine his obtineri non potest. Dicitur enim felicitas practica bonum qvoqve θειότερον l. 1. ad Eud. c. 3. θεόδοτον, θεοπρεπὲς. l. I. Nic. c. 10. Adprimè Philos. φαίνεται δ', καὶ εἰ μὴ θεοπρεπὲς ἐστιν, ἀλλὰ δ' ἀρετὴν, καὶ ζῆναι μάλιστα, ἢ ἄσκησιν παραγίνεται, τ θειοτάτων εἶναι. Iterum l. I. Nic. c. 12. Τῆς τε δὴ θεὸς μακαρίζομεν καὶ εὐδαιμονίζομεν, καὶ τ ἀνδρῶν δὴ τ θειοτάτους μακαρίζομεν. ἀδὲς

τὸν εὐδαιμονίαν θεωνεῖ, καθάπερ τὸ δίκαιον, ἀλλ' ὡς θειότερόν τι καὶ βέλτιον κατακείζ. Insuper l. 6. Nic. c. 7. ἀνθρώπινον dicitur, qvicqvid homo prudens judicat esse sibi συμφέρον. l. 7. Nic. c. 1. qvod specialissimè à DEO est, ἀνθρωπίνῳ opponitur, qvod extra ordinem est à DEO constitutum (ita se habet miraculorum donum per Theologos, non ipsa felicitas Theologica præcisè) qvodq; ab humana virtute non nisi gradibus differt. ἐξ ἀνθρώπων enim, inqvit, γίνονται θεοὶ δι' ἀρετῆς ὑπερβολὴν, qvalem heroum animis competiisse dicit, τοῖς θείοις ἀνδράσιν. Accedit & hoc, qvod Phil. l. VIII. Nic. c. 9. societatem illam qva homines coëunt ad honorandum DEUM, eiq; καθ' ὑπαυμιν serviendum sub politica societate expressè contineri dicit, & per consequens illud bonum, qvod ex obedientia DEO filialiter præstita resultat, humanum politicumq; dici ab Arist. certum esse puto. Imò l. 8. Nic. c. 14 φιλίαν, (humanum bonum) inter hominem & DEUM esse dicit. Ergò conjunctio DEI cum homine, qva qvod bonum excogites majus, sive civile, sive Theologicum dixeris, non video, per Philosophum est ἀνθρώπινον ἀγαθόν. Si videas l. X. Nic. c. 7. & 8. apparebit, Philosophum distingvere inter bonum hominis qva νοῦς est, & qvâ σωματικὴ, ex dominante & serviente compositum; divinumq; illud, hoc humanum appellari. Qvicqvid ergò ab homine fit præter speculationem, qvicqvid homini competit, qvâ ex dictitante qvid faciendum omittendumve sit, & obseqvente aut exeqvente compositus est id omne humanum dicitur. Qvàm benè itaqve distingvas ad mentem Philos. thesin tuam stabiliturus inter felicitatem civilem & Theologicam videas ipse. Redeo verò ad id qvod primum fuit, postqvam ostendi τὸ ἀνθρώπινον nihil pro felicitate civili in oppositione ad Theologicam facere, & ostendo qvo sensu felicitas ἀνθρωπινὴ dicatur in allegatis locis à W. Ad l. I Eth. c. 6. dico ἔργον ἀνθρώπου ibi dici, qvod homini ἴδιον, qvodq; κοινὸν esse potest salva distinctione distinctarum artium. 2. ἔργον ἀνθρώπου

ibi

ibi dici ψυχῆς ἐνέργειαν κατ' ἀρετὴν qvod de felicitate theoretica & practica enunciari posse extra dubium est. Theoreticam autem esse divinissimam hominem cum DEO conjunctissimum facientem evincit Philosophus in practicis. Ad l. 1 c. 13. respondet Arist. ἀρετὴν δὴ λέγομεν ἀνθρωπίνην, οὐ τὴν τοῦ σώματος, ἀλλὰ τὴν τῆς ψυχῆς: qvæ dici potest tàm de ea qva DEUM colis, eiq; sufficientem obedientiam exhibes, qvàm de ea qva ad proximum cæterosq; homines respicis. Et qvis dicat felicitatem qva homo animantes cæteras superat, & præ omnibus aliis animantibus felicitatis capax est, de qva tùm c. 6. tùm 13. theologicæ felicitati attribui non posse. Ad l. V. Nic. c. 13. dico, de justo ibi agi humano, mutuo reciprocoq; δίκαιον enim inter hominem & servum neqvissimum qvavis cruce dignum non esse ibi dicitur. An verò istiusmodi servus neqvam herum occidens rectè facit? Certè contra leges in urbe positas vel maximè facit, hominem occidendo, benefactorem extingvendo. Ita qvamvis homo DEO non non possit plus honoris tribuere, cum se totum debeat, potest tamen ei id qvod debet; honorem puta non tribuere, qvod citra injuriam, & ni iniqvus in ipsum esse velis, denegari ei neqvit, potest maledicere DEO. At sic agendo contra leges agi, contra jus agi ecqvis subdubitet? l. I. Nic. c. XI. μακάριον dici hominem ut ἄνθρωπον nihil evincit, cum μακαρίους, qvos fides Christiana tales prædicat Matth. 5. &c. multis calamitatibus & adversis hujus mundi fluctibus subjectos esse, Scriptura sacrosancta doceat. Vidimus sic, qvid sentiat Italus, Gallus, Hispanus, Hollandi & aliqvot Germani, de finis Arist. amplitudine, qvibus devictis non cogitur ire pedes, pauper Aristoteles. Italorum, Gallorum, Hispanorum aliorumq; sententias qvi petit, congerat.

Ego nunc ad littus navem applico, DEOq;
qvod debeo solvo.

Ad

Ad Cl. & Eximium Juvenem

M. JOH. FAUSTUM,

Civem meum dilectissimum,

Præsidem!

FAuste, meæ patriæ spes non falsura, diuq;
Semper amate mihi, semper amate bonis,
Post studia eximiis progressibus inclyta, postq;
Plurima virtutum jam documenta domi,
Ire foras cum Fratre tuo tibi deniqve visum est,
Et Doctorum alibi cognitione frui.
Res benè successit. Belgas, Danos, Pomeranos
Lustrasti, egregiis cognitus inde Viris;
Rostochium traxit fiducia pristina nostri.
Jamq; biennalis junctio nostra fuit.
Qvando domum migrare paras, ostendis abundè
Per specimen, qvantum noveris ipse domi.
Qvando domum venies, feliciter ipse docebis,
Qvantum cognoris jam foris atqve domi.
Laude foris decoratus eras; sis laude domiq;
Conspicuus; patriæ comprecor hocce meæ.

Scr. penitiss. amoris mnemosynon

JOH. GEORG. DORSCHEUS,
Argentoratensis, D. p. t. Academiæ
Rector.

(o)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730139077/phys_0051
DFG

assimilatur, magis est φίλος, cujus bona DEU vam
amicissimi amici bona. Mach. *Si qvid in religi om-
probet, aut firmet, dum id prosit fovendæ qvalicunqv* rist.
DEUM vult κρ δώαμιν coli l. VIII. Nic. c. I c. I.
scribit, ἐνια δ' ἴσως οὐκ ἔστιν ἀναγκαῖα, ἀ om-
ψυχῆτον, παρόντα τὸ δεινότατα. Dixerat enim mi-
nem ἀπρεπέστ. Levioribus videtur à Philos. v vio-
ribus verò neqvaqvam. Nihil itaqve hactenus llo.
Mach. *Doctores Christianæ religionis nihili faciat pr* hos
ut non novit, ita nec judicavit, judicaturus cert mè,
si suos Præceptores & Magistros cognovisset, q per
ipsum præmium ἀπόρρητον non referas. l. X. Ni ich.
Fortunæ & casui felicitatem, non virtuti & religioni v rist.
qvæ sit distinctio inter εὐτυχίαν & εὐδαιμονία bus
notum est. Felicitatem ἐφ' ἡμῖν esse, εὐτυχίαν , fe-
licitatis potissimam partem in religione consiste lof.
Mach. *Belli justitiam in ea qvam qvisqve putat sibi* sta-
tuit. Arist. qvæ sit de bello sententia vid. l. 7. Pro
Machiavello qvidem Phil. aliqvid facere videt 5. 5.
Sed ibi non de Principe bono, recta politia, ndi
Remp. modo agit, verum de Tyranno, pessimæ R ore
pessimo, & modis qvibus illa servetur, non qv utò
possit, ac debeat.

§. 4. Venio nunc ad eos, qvi mitiora & pro
Phil. nostro loqvuntur. Sunt autem hi in di itia,
aliis dicentibus Philosophum nil nisi honesta on-
fistit in iis actionibus, qvæ fiunt ab homine est
aut cum seipso, aut qvà est cum alio, non tum
DEO, aut cum ipso esse debet, intuearis, i aliis
verò laxius spatium concedentibus & felicitat em,
qvam ope humana acqviras, qvamqj natu præ-
eunte lumine naturali in hac vita sibi mortales c ilo-
sopho tribuentibus, ejusqj beatitudinis intenti hac
vita

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730139077/phys_0053
DFG